CORN. VALERII VONCK

SPECIMEN CRITICUM

IN

VARIOS AUCTORES.

ADCEDUNT

OBSERVATIONES

MISCELLANEAE.

TRAJECTI ad RHENUM,

Apud HENRICUM SPRUIT.

MDCCXLIV.

Philol. 287

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

VIRIS LONGE CELEBERRIMIS, ATQUE INCLYTAE ERUDITIONIS,

ABRAHAMO WIELING.

JURIS CIVILIS. FEUDALIS. AC PUBLICI ROMANO GERMANICI IN ILLUSTRI TRAJECTINORUM ACADEMIA ANTECESSORI,

E T

PETRO WESSELING.

HISTORIARUM. ELOQUENTIAE. GRAECAEQUE LINGUAE APUD EOSDEM PROFESSORI,

PRAECEPTORIBUS SUIS ET FAUTORIBUS OPTIME MERITIS,

JUVENILES HOSCE CONATUS SACROS FACIT

CORN. VALERIUS VONCK.

Quid fugis auricomi rutilantia lumina Phoebi?
Quid fugis, in tenebris ſuete jacere, diem?

Digitized by Google

Non eſt, quod timeas inſani turbida vulgi
Murmura, latrantes temnere diſce canes.
Quid metuis pudibunde liber? Tutoribus iſtis
Dum tibi tranquilla vivere pace licet.
Invida Gorgoneis veniet plebs cincta colubris,
Armabitque ſuas in tua damna manus.
Sed ſimul ac, ſumma quae ſint tibi Nomina fronte,
Viderit, ingreſſum jam remeabit iter,
In caput atque tuum quae ſpicula dira pararat,
Concidet his ſtridens, & ſibi tela dabit.
Suſcipitote rogo noſtri praeclara Lycaei
Lumina, Pegaſei ſplendor amorque chori!
Suſcipite haec animi juvenilia pignora noſtri,
Et leve, quod gratus dedicat Auctor, opus.
Debita jam dudum nunc tamdem munera mittit,
Haec tamen & veſtri muneris eſſe refert.
Mittere quod poſſit, quo non ingratus haberi,
Adceptum vobis ferre fatetur opus.
Vos modo, Pieriis cultiſſima pectora Divis,
Tollite, quem foetum deſerit ipſe pater:
Quem ſua paupertas placidis ſuccedere tectis,
Et miſero ſolitam poſcere juſſit opem.
Vos petit, atque ſuos quaerit ſibi rite Patronos,
Et totidem Genios, quos veneratur, habet.
Palladis ut clypeo tutus, dum bella minantur,
Telemachus fuerit, Telemachique parens:
Luſerit hic Circen, vel, monſtra timenda, Cyclopas,
Ultus at in patriam venerit inde ſuam,
Poſt varios caſus, divino carmine pandit,
Dum canit Aonius Fata Virumque Senex.
Sic

Sic ego confido, flavae pia cura Minervae,
Nomine ſub veſtro poſſe latere meum.
Nec mihi ſpes vana eſt, nec me mea Numina fallunt,
Omina ſunt votis proſperiora ſuis.
Quam bene ſuccenſis adoletur laurea flammis!
Ut crepuit grato terque quaterque ſono!
Ipſe mihi videor laetantes cernere Divos,
Qui plaudant, meritum concelebrentque decus.
Si licet, & fas eſt viſus retuliſſe Deorum,
Adnuit e Sacro Pallas amica Choro.

LECTORI.

Obſero tibi, Amice Lector, Specimen meum Criticum, cum nonnullis Obſervationibus aliis. Juvenile opus, &, ut vides, tenue. Sed quale ab adoleſcentulo merito exſpectaveris. Haec quidque pleraque anno aetatis meae ſeptimo decimo jam digeſſeram, quae nunc duodeviceſimo demum in lucem prodeunt. Longioris morae cauſſas non unas norunt illi, qui me penitius. At hic referre quid adtinet? Quam autem in tenella hac aetate lubricum eſſe ſoleat humanum ingenium, quaeque in dijudicando facilitas, ac varietas, nullus neſcit, & ipſemet quoque, cum in aliis, tum in me potiſſimum plus ſemel expertus didici. Haud pauca idcirco huic opellae inerunt, quorum forte meliora deinceps edoctum pudeat. Juvenes ſcribimus, & ſcribimus, ſat ſcio, ambitioſe. Damnat vero ſerior hora. Queſti id de ſe Viri Maximi. Audi, inſtar omnium,

nium, *Hugonem Grotium*, *miraculum ſui temporis*, *ingratae olim Patriae ornamentum!* Neſcio, (*ſcribit in Epiſtolis*) quo modo eveniat, quod in me experior, ut priores foetus provectioris damnet aetatis judicium. *Ita Grotius. At quantum diſtamus ab illo! ab illo, inquam, qui in prima lanugine hoc praeſtiterat, quod ſenes nos miraturi ſumus. Et miraturi tantum. Sed quid facerem? Videbatur audendum aliquid. Jacta nunc eſt alea. Sic ſolemus homines. Ubi haud penitus diſplicuerint Erudito orbi primitiae illae, erit, unde mihi gratuler. Obtrectatores & alienae famae invidos nihil curo. Aequum Lectorem, doctum ac peritum judicem opto, rogo, expeto. A Magnis Nominibus, Reipublicae literariae Principibus, diſſenſi ſaepius. Modeſte tamen. Ut par erat. Nunquam enim illorum conſilium mihi ſe probare potuit, qui Summos Heroas, omnigena eruditione Illuſtres Viros, errantes alicubi, de ponte protinus velut ſexagenarios dejiciunt*,

ciunt, incredibili temeritatis oeſtro perciti. Uſus ſui naturali, quae in literis reviviſcit quodammodo, de qualibet re pro arbitrio decernendi libertate. Nullus intercedo, quo minus viciſſim contra me cuncti experiantur Edicto, quod quiſque juris in alium ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur, *probe edoctus vel a Juſtiniano noſtro*, omnium habere notitiam, & in nullo penitus errare, divinitatis eſſe, non humanitatis. *Addidiſſem porro plura, niſi libelli molem augeri noluiſſem. Si namque, ſic habeo, non ſpernenda prorſus fuerit opella iſta, rarior uſus magis conmendaverit. Quum optimarum quoque rerum multitudo pariat taedium. Sin ad ineptas chartas relegenda, & haec nimium. Tu judica. Vale interim, mi Lector, atque aliis forſan occupata iisdem redde.*

O B-

OBSERVATA
AD
ANTONII CARMEN
Adverſus gentes.

Extſtat Tomo Primo *Anecdotorum* Lud. Anton. Muratorii elegans carmen *adverſus gentes*. Quod licet in multis laudatiſſimi Viri opera integritati reddiderit, in pluribus tamen oſcitantia librariorum hodiedum conſpurcatum eſt. Saepius etiam doctiſſimus Editor rem acu tetigiſſe non videtur. Ita ipſo in limine, quando *Paulinum* carminis auctorem facit, fallitur Vir eximius. Diſerte *Antonium* ſemet nuncupat

Diſcuſſi, fateor, ſectas Antonius omnes.

Conf. qui plura hanc in rem obſervavit Celeb. Fabricius *ſyllab. ſcriptor. qui verit. Relig. Chriſt. aſſeruerunt* Cap. 4. §. XI. Sed de Antonio illo quum praeter nomen nihil amplius nobis conſtet, ad ipſum potius Poëma pergimus. ỷ. 5. 6.

Et ne diſpliceat, quod talia carmina pando,
David ipſe chelym modulata voce rogavit.

Pro *carmina* ſenſus flagitat *carmine*. Sed & quae ſequuntur *chelym m. v. rogavit* quid ſibi velint, haud

extrico. Forte *chelym rogare* idem fuerit, quod aliis *ſollicitare lyram*, *plectrum*, & hujusmodi, frequenter dicitur. At id duriuſculum, & heic loci vix admittendum. An ſic ſcripſerit? *David ipſe Deum m. v. r.*

℣. 12. 13.

> *Et mare transgreſſus pedibus, lucente columna*
> *Cum Duce, qui mergi infeſtos vidit equeſtres.*

Ut laboranti metro ſuccurreret Cl. Muratorius, pro *mergi* reponebat *merſos*. Ego legerim & diſtinxerim hoc modo:

> *Et mare transgreſſus pedibus, lucente columna,*
> *Cum Duce qui mergi funeſtos vidit equeſtres.*

Judaeos dicit mare rubrum praelucente columna pedibus transgreſſos, & equitum catervas, exitium ſibi minitantes, cum Duce ſuo, Pharaone, aquis vidiſſe obrui.

℣. 15.

> *Manna cui e coelo, & fons de rupe cucurrit.*

Iterum pes deficit. Muratorius pro *&* refingit *cui*. *Manna cui e coelo*, *cui fons* &c. leviori remedio transpoſuerim *fons & de r. c.* nihil facilius.

℣. 17. 18.

> *Dumque aliud Numen dementi pectore quaerit,*
> *Ignibus incenſis quod miſit perdidit aurum.*

Illud *quod miſit* hic nihili, & procul dubio corruptum. Tentabam *quo ſiſus*, aut *quo fidit*. Moſes enim vitulos aureos, quibus ante ut Numinibus ſuis, quae ſe ex Aegypto abduxerant, fidebant Iſraelitae, igni abolevit. Aurum itaque quod ſibi detraxerant Judaei, ad Deos inde conflandos, flammis a Moſe traditum perdiderunt. Hiſtoria ex lib. *Exodi* Cap. 32. eſt notiſſima, ℣. ibi praecipue ℣. 20.

℣.

℣. 21. 22.

Tum ſimulacra colit, quae ſic ex aere figurat,
Ut quando libitum eſt, mittat confiĉta monetae.
l. *Mittat confraĉta m.*

℣. 53.

—— —— —— *quae ſint Capitolia, primum*
His Deus. l. *primus His Deus.*

℣. 66 ſeqq.

Sacra Jovi faciunt, & Jupiter optime dicunt,
Huncque rogant, & Jane Pater primo ordine ponunt.
Rex fuit hic Janus, proprio qui nomine fecit
Janiculum, prudens homo, qui cum multa futura
Poſſet reſpicere, hunc duplici pinxere figura.

Primum pro *& Jane* legendum *at* vel *ſed Jane.* Porro nec conprehendo, quo modo Janus potuerit dici *futura reſpexiſſe.* Nemo, quantum ſcio, futura reſpicit, proſpicit utique. Quin ergo reſcribamus

—— —— *prudens homo, ſcivit multa futura,*
Poſt ſe & reſpicere, hinc dupl. p. f.

Si quis paulo religioſior tantum mutare non auſit, pro *reſpicere* ſubſtituat *praeſpicere*, ut ſic legatur
—— —— —— *qui cum multa futura*
Poſſet praeſpicere. Facillima, uti paret, conmutatione, maxime cum in antiquis Codicibus *preſpicere* ſcribi ſoleat, quod nemo neſcit.

℣. 77.

A Jove quid ſperant, qui eſt a rege ſecundus.

Ut verſus caeſura conſtet, l. *quique eſt a r. s.* ceterum Vir Cl. perperam *a rege* intelligit de Saturno, cum denotetur Janus, quem ſupra dixerat priori prae Jove ordine in precibus gaudere, eumdemque *regem*

 fuiſſe,

fuiſſe, adeoque hominem. Quid ergo, ſic jam pergit, ab ejusmodi Jove poteſt ſperari, quem Jano poſtponunt, & a rege ſecundum profitentur? Idque adſtruunt vel quae ſequuntur

Quique ſacrificiis adponitur ore precantum.

Pertinet huc, praeter citatos a Muratorio, Catonis locus *de Re Ruſt.* Cap. 134. *Priusquam porcum feminam inmolabis, Jano ſtruem conmoveto ſic: Jane Pater te hac ſtrue conmovenda bonas preces precor.* Tum deinde: *Fertum Jovi moveto, & mactato ſic: Jupiter te hoc ferto obmovendo bonas preces precor.* cet.

℣. 80.

Nam prior eſt paſtor, quam Jupiter, aut Jovis ipſe.

Melius forſan *aut Jovis ipſo.* Et *aut* hic ſcriptum pro *haut*, vel *haud.* Prior, inquit, paſtor eſt Jove, non Jupiter paſtore, uti fruſtra Poëtae garriunt. *Aut* vero ut plurimum veteres *αντι τυ haut* ſcribere ſolebant; dudum id docuit Cl. Duker. *ad Flor.* lib. 3. Cap. 20. & Pagenſtecher. in Diſſert. Jurid. *de Computatione menſium*, Theſi 4. hinc emendandus Paulini locus *Epiſt.* 1. *ad Auſonium* ℣. 15.

Vivamus ut vitae patri
Vacare vanis otio, aut negotio
Et fabuloſis literis
Vetat, ſuis ut pareamus legibus.

l. *Otio, haut negotio,*

℣. 92.

—— —— —— *Sic artior ipſe ſacerdos*
Foemineos vitat coitus, patiturque viriles.

O Mens caeca Virum! deeſſe hic verſum ſuſpicatur Muratorius, certe vocem *abſcindi* penitus neceſſariam, ut ſit ſenſus *patiturque viriles abſcindi partes.* Mirum

Mirum profecto in re tantilla haeſitaſſe magnum Virum! enim vero perverſam Cybeles Sacerdotum caſtitatem exagitat Antonius, qui femineos vitent coitus, at, quod nequius longe, patiantur viriles. Hujusmodi flagitiis infames fuiſſe Gallos, Magnae Matris ſacrificulos, conſtat ex Ambroſio *de Virginibus* lib. 1. cap. 4. *quid de ſacris Phrygiis loquar? in quibus inpudicitia diſciplina eſt, atque utinam ſexus fragilioris!* conf. Vir. Doct. *ad Phaedr.* l. 3. F. 20.

ỹ. 112. 113.

Quid? quod & invictum ſpelaea ſub atra recondunt,
Quaeque tegunt tenebris, audent hunc dicere ſolem.
l. *Quemque teg. ten.*

ỹ. 114. 115.

Quis colat occulte lucem, ſyduſque ſupernum
Celet in infernis niſi rerum cauſſa malarum.

Muratorius hic *celare* capiebat pro latere. at quod verbum eo ſenſu inuſitatum eſſet, lubentius legeret

Celet in infernis ni ſe horum cauſa malorum.

Ingenioſe profecto. Sed omni emendatione facile carebimus, dum ſic locum rite diſtinguamus:

Quis colat occulte lucem, ſyduſque ſupernum
Celet? in infernis niſi rerum cauſſa malarum.

Quis, inquit, tam ſtupidus eſt, ut lucem occulte colat, & ſydus ſupernum, ſolem puta, in ſpelaeis atris abſcondat? cum in infernis ſolus mali auctor habitet. Poſt *malarum* ſubaudiendum *eſt*, ut nemo non videt. Poſſet ceteroqui locus, ſervata vulgari interpunctione, alio & commodo ſatis ſenſu explicari, ſi violati metri dicam Antonio quis ſcriberet, cujus leges quum tot antiquiores Poëtae ſaepe neglexerint, idem cur a noſtro alienum prorſus exiſti-

memus, nihil eſt quod exigat. Si quis ergo maluerit, ita interpretetur; Quis occulte lucem veneretur, & ſydus ſupernum celet in locis abditis aut infernis, niſi rerum malarum cauſſa? Ut ita in auferendi caſu ſumatur *cauſſa*, non nominandi.

℣. 122.

Quid Serapis meruit, qui ſic laceratur ab illis
Per varios turpeſque locos. Hic denique ſemper
Fit fera, fitque canis, fit turpe cadaver aſelli,
Nunc homo, nunc panis, nunc corpore languidus aegro.

Primum quod ait *lacerari Serapidem.* Notum ex Hiſtoriis, quid Aegyptii de Oſiride (qui idem cum Serapide) tradiderint, eum nempe a Typhone interemtum, & in partes quatuordecim diſcerptum fuiſſe. Id autem in ſacris ſuis Aegyptii repraeſentabant, eoque reſpicit Plutarchus *de Iſide & Oſiride*, quando ſcribit, Iſidem in memoriam mariti Oſiridis ſacra inſtituiſſe, *Sanctiſſimis ſacrificiis* (ut habet verſio Xylandri) *admiſcens imagines, indicia & exempla ſuorum eventorum.* Huc & pertinent verba Julii Firmici *de errore profanar. religion: in adytis habent idolum Oſiridis ſepultum: Hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, ut miſerandum caſum Regis ſui turpitudine dehoneſtati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reſecant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funeſtae ac miſerandae necis exitium renaſcatur. Et cum haec certis diebus fecerint, tunc fingunt ſe lacerati corporis reliquias reperire, & cum invenerint, quaſi ſopitis luctibus, gaudent.* Dicit porro *per varios turpeſque locos*, quibus, ut puto, indicat ανδρειον αιδοιον, quod pariter diſcerpſerat Typhon, cumque reliquas particulas collegiſſet Iſis, iſtud ſolum non repertum ferunt. In cujus rei memoriam Iſis, qua erat erga maritum pietate, ſimulacrum membri ejus conſecraſſe traditur, quo & deinceps in ſacris ſuis uſi ſunt Aegyptii,

gyptii, eaque exinde *Phallophoria* dicta; φαλλος enim hujusmodi quid Graecis denotat, Plutarch. laud. loco. confer Pignor. *expoſit. Menſae Iſiacae* p. 32. & alios. Forte hinc circumciſionis apud Aegyptios origo fuerit derivanda. Quae namque adſumti ritus cauſſae ob evitandum morbum, (*carbunculum* dicunt,) aut foecunditatis curam, a nonnullis adferuntur, dudùm exploſae ſunt prudentioribus. Nec ab Iſraelitis hic quidquam mutuati Aegyptii, ut opportuniori loco prolixius demonſtrabimus. * Nunc aliud agimus. Muratorius aquam ſibi haerere confitetur in verbis illis *hic denique ſemper ſit fera, ſitque canis* &c. Mentionem credit fieri feſti alicujus, quo Serapis multas formas induere cogebatur, at ejus veſtigia addit nuſquam ſe reperire. Si obſtrepere liceat Magno Viro, exiſtimem ego, noſtrum, quum noviſſet Aegyptios plurima ſimulacra ſub figura diverſorum animalium colere, ea omnia ad unum Serapidem referenda cenſuiſſe, & ejusdem Dei totidem quaſi ectypos. Sic certe Martianus Capella *de Nupt. Philol.* lib. 2. p. 43.

Vel quia diſſolvis nocturna admiſſa, & Iſaeum
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim,
Diſſona ſacra mitram, Ditemque ferumque Typhonem,
Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri,
Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon.
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.

Paulinus quoque *Natali* XI. ℣. 85. (To. I. Anecdot. Cl. Murator.)

Marcus Alexandria tibi datus, ut bove pulſo
Cum Jove, nec pecudes Aegyptus in Apide demens,
In Jove nec civem coleret male Creta ſepultum.

* *Obſervat. Miſcellan.* Cap. I.

Et ℣. 98.

Fugit & Aegypto Satanas ſub mille figuris.
Nomina mille ſibi variis adcommoda monſtris
Sumſerat, ut Serapis ſanctum formaret Joſeph.

Ceterum verſuum quos adſcripſimus ultimus videtur corruptus, & pro *Nunc homo, nunc panis* legendum

Nunc homo, nunc ſanus, nunc corpore languidus aegro.

Dicit enim, Deum quoque repraeſentari ſub forma hominis, qui nunc ſanus ſit, nunc morbo adflictus langueat: Et reſpicit puto ad ſuperſtitionem Aegyptiorum, qua ſolebant divinis honoribus hominem vivum proſequi, & ſacrificiis oblatis ut Numen venerari. Is vero, qualis eſt conditio humana, nunc ſanus erat, alio autem tempore morbo laborabat. Tetigerunt hanc perverſam colendi rationem Porphyrius, Euſebius, alii, conf. Ill. Jo. Marsham. *in Can. Chron.* ad ſec. XI. p. 319.

℣. 131.

Iſta quidem mulier, ſicuti commendat Hyginus.

l. *commentat.* quod rarius quidem, uſitatum tamen,

℣. 139. 140.

Utque notent Venerem, tunc & portatur Adonis,
Stercora tunc mittunt, ipſum pro ſtercore jactant.

l. *ipſum pro! ſt. j.* heic enim loci *pro* rei indignationem indicat, nec praepoſitionis vice fungitur, ſed interjectionis.

℣. 151.

Haec ego cuncta prius, clarum cum lumen adeptus,
Meque diu incertum, & tot tempeſtatibus actum
Sancta ſalutari ſuſcepit eccleſia portu.

Suſpicatur aliquid deeſſe Muratorius, ſed quae Vir Doctus

Doctus deſiderat, ſatis commode ſubintelligi poſſe videntur: *Haec ego cuncta prius*, id eſt, haec omnia ego antea dubia mente volvebam, incertus ubique & inſcius. Concinnitatem hanc ſequentia illuſtrant, atque ita multoties Poëtae. Ceterum ſenſus flagitat, ut aut legatur *clarum ſum lumen adeptus*, aut, quod malim, reponatur *adeptum*.

℣. 170.

Diſtribuitque locis mare, terras, aera, coelum.

Res videtur pulcra Muratorio, & diſquiſitione digna, quod mare, terras, aera & coelum Elementorum nomine diſtinguat noſter, neque hilum de *igne* cogitet. At Philoſophum hic egiſſe Antonium non putem, imitatus eſt, credo, verba ſacri ſcriptoris *Geneſ.* Cap. 1. ubi nec ulla *ignis* mentio. Quas ob cauſſas, nunc non excutio. Interim, ſi lubet, mecum ride, quae hanc in rem diſſeruit Janus Huartus, Medicus Hiſpanus, *ſcrutin. ingenior.* cap. 22. Prudentius etiam *ignem* non adgnoſcit tamquam elementum per ſe conſiſtens, ſed quod ex alio progignitur, lib. 1. *in Symmach.* ℣. 397.

Quidquid humus, pelagus, coelum mirabile gignit,
Id duxere Deos, colles, freta, flumina, flammas.

Sic & multi, tum veterum, tum recentiorum. Hic itaque, ne de termino moto nobiſcum agatur, adeundi Philoſophorum filii.

℣. 173.

Quatuor haec hauſit variis exordia rebus,

l. *auxit.* nam *hauſit* prorſus nihili.

℣. 201.

Hic Deus de corde Dei, hic ſpiritus oris,

Muratorius ob caeſuram ſubplet: *Hic Deus eſt de*

corde Dei, *hic eſt ſp. or*. & ſic ſatis recte. alioquin & Virgilius ante *hic* eliſin ſprevit, lib. 1. *Aen.* ỿ. 20.

Poſt habita coluiſſe Samo, hic illius arma.

Et nonnunquam alii, V. Heinſium *ad Claudian. de ſec. conſul. Stilich.* ỿ. 167. ſimiliter ſupra ỿ. 54. MS. habebat

His Deus, uxorque Dei, ipſamque ſororem.

Ubi itidem Cl. Editor addit binum *eſt*: *Hic Deus eſt, uxorque Dei eſt.* Quoniam autem in hoc carmine tot occurrunt loca, in quibus ſi MStum conſulas, at quem tutius? deſideretur caeſura, aut eliſis non adtendatur, haud ſane credibile mihi fit, caſu omnia illa loca corrupta fuiſſe: & forte in pleriſque contra metrum peccarit Antonius, ut Poëtis illius temporis, cujus ſe prodit noſter, haud inſolens. Nulla enim omnino nobis adeſt ratio, cur in omnibus hiſce ſcripti Codicis ſpernatur auctoritas.

ỿ. 246.

Nam cum ſaepe minax horrentia nubila cogit,
Et terrore pio, rutilo nimis igne coruſcat,
Omne genus timet interitum, ſed vita poteſtas
Deſinet, & pariter coelum menteſque ſerenat.

Illud *vita poteſtas* hic plane mortuum. Muratorius aliis errorem tollendum relinquit. Fabricius *victa* conjiciebat. Genuina, ni fallor, lectio eſt *viſa poteſtas.* Quando, inquit, ſigna Majeſtatis ſuae prodit ſupremum Numen, omne genus interitum timet, ſed poteſtas ejus ſimul ac viſa eſt, vel adparuit, deſinet, atque ita coelum, antea nubibus atris incinctum, ſerenat, & moeſtas hominum mentes redivivo ſplendore conſolatur. Quae antecedunt & ſequuntur haec ſatis adjuvant, ut plura addere neceſſe non habeamus.

ANI-

ANIMADVERSIONES
IN
CORIPPUM AFRICANUM.

Eſt ſane Corippus Africanus, qui ſub Juſtino ſecundo floruit, excellentis ſpiritus Poëta, & ſupra aetatem doctus, neque dubium eſt, quin, ſi in felicius incidiſſet aevum, inter maximos vates fuiſſet numerandus. Sed nunc praeclaram illam & divitem venam ſeculi, ad barbariem ruentis, corrupit genius, cujus veſtigia, ut egregii operis totidem naevos, paſſim oſtentat. Saepius tamen generoſi oloris inſtar altius adſurgit, & lectores ſuos in ſtuporem abripit, talia tunc temporis ſcribi potuiſſe. Quid! inſpiciamus Poëtas illos, qui a Conſtantino & ſub Theodoſiis, ac poſtea floruerunt, vulgoque Chriſtiani audiunt. Mera ibi barbaries. Si Sedulium, Paulinum, & paucos forte alios exceperis. Corippus quanto iis ſerior, tanto elegantior. Optandum profecto, ut ſcripta ejus ad nos integra perveniſſent. Sed et magna eorum parte deſtituimur, & quibus etiam per vetuſtatem invidam in hunc diem ſupereſſe licuit, lacera ac trunca adparent, Deiphobo Virgiliano pene conponenda. Adde, plurimis in locis tam turpiter ac ſupine ſe dediſſe librarios, ut conjunctis quaſi mentibus in miſeri auctoris perniciem juraſſe videantur. Nec potuit efficere excellentium Virorum in-

induſtria, ut omnibus hiſce medicinam facerent, neque aliis poſt meſſem ipſorum reſtaret ſpicilegium. Quod ſi vero tanta ingenia ſibi haud indecorum judicaverint laboranti Corippo, ut praeſto erat, opem ferre, quid ni ego, puſilli judicii & aetatis homuncio, a me non alienum ducam, ut poſitis pauliſper elegantioribus, ad Muſas aliquamtum quidem horridiores, nec plane tamen incultas, divertam, modulumque meum ad exornandas eas conferam? Bene alibi Barthius, de hoc ipſo Corippo agens, *juvat*, inquit, *ultimos Romanae eloquentiae conatus non adſpernari, etſi vulgo minus nobiles habeantur.*

Sin vero hiſce in obſervationibus noſtris occurrant quaedam, a Rittershuſio aut alio quopiam jam praecepta, eadem illis adſcribi vehementer cupio; neque enim, praeter Ruizii editionem principem & Dempſteri, aliam videre contigit, quas & ipſas, ut plurima, debeo humanitati V. C. Petri Weſſeling. Non itaque mihi fraudi eſſe voluerim, ſi qui ante nos noſtra forte dixerint, ut Donatus inquiebat. Sed et, quem laudabam modo, Barthius, in *Adverſariorum* libris, Corippum plurimis locis aut illuſtrarat, aut emendarat, quae omnia huc repetere inanis duxi operae. Nullas porro lacunas aut defecta loca ſubplere adgreſſus ſum. Nihil enim incertius & arbitrarium magis ſemper credidi, quam veterum auctorum ſcriptis verba, ubi deeſſe videbantur, infarcire, quum forte millia talia noſtrum excogitare poſſit ingenium, quorum ne unum ipſis in mentem venerit. Docuit ſane experientia, conjecturas ejuſmodi nimium quantum eſſe lubricas, ſique Codices ſcriptos conſulas, evidenter adparere falſas. Quod & dudum Viri Docti obſervarunt. Ab iis itaque (uno forte loco excepto, qui perſpicuus erat) abſtinui, voces tantum corruptas, ſi quidem mihi tales viderentur, ſanare, aut verſibus ordine minus recto collocatis transpo

tranſpoſitione novave interpunctione mederi inſtitui, nonnulla etiam a criſi minus neceſſaria vindicare. Quod ut nobis ſucceſſerit, judicent alii. Sed in rem praeſentem veniamus.

Praemittitur Corippi libris fragmentum, quod non tam perticulam alieni operis, quam praefationem librorum de laudibus Juſtini minoris cenſet Barthius l. 25. Cap. 3. ibi vero ℣. 18. ſic editur:

Pars inimicorum cecidit cum magna tuorum
Perfidia punita ſua: nunc Marte peracto
Victores, victique ſacra famulantur in aula.

Quum vox deſideraretur, τὸ *ſacra* de ſuo addidit Dempſterus. Sed & victores hic cum victis parum decore conpoſuiſſe merito Corippus videri poſſet. Malim idcirco

—— —— —— *nunc Marte peracto,*
Victoris victi veſtra famulantur in aula.

ſic lib. 1. *in laud. Juſtini* ℣. 141:

Foedera ſeu pacis cum victis victor *iniret.*

Satis alioqui tute, quod inſeruerat Dempſterus, *ſacra* retineri poteſt, nam & ſic paſſim loquitur noſter.

In Panegyr. ad Anaſtas. ℣. 43:

—— —— —— *lege ſumme magiſter,*
Et cauſſam defende meam: tibi ſanctio veſtrum
Commendat famulum.

l. *tibi ſaucia v.* ut *ſaucia* ad *cauſſam* referatur, quod ſuadent, quae ſequuntur

—— —— *laſſae miſerere ſenectae,*
Vulneribusque meis ſolita pietate medere.

ſic *in praefat:*

Nu-

Nudatus propriis, & vulnera plurima paſſus,
Ad medicum veni.

Lib. 1. *in laudem Juſtini* ℣. 8:

Vos Divae date verba, & quae Vigilantia mater,
Vos mihi pro cunctis dicenda ad carmina Muſis
Sufficitis.

Verbis *& quae V. m.* nullus ineſt ſenſus. Quantum video. Et ſic tamen reſtituit pro *atque*, quod in MS legebatur, Michael Ruizius, probante Barthio l. 21. C. 2. tentabam:

Vos Divae date verba duae, Sapientia, mater.

Omiſſa conjunctionis particula, pro *Sapientia & mater*, ut quandoque alii: ex praecedenti autem *verba* faciſe *a* potuit inrepſiſſe, & pro *due*, ut ſcribebant, una mutata literula, aut perverſe poſita, *que* eſſe exaratum, unde deinceps peritior paulo librarius *atque* formaverit. Per *Sapientiam* hic, ut paſſim alibi, intelligit Sophiam Auguſtam, Imperatoris vero *mater* Vigilantia erat. Ni ductus literarum nimis abiret, legerem:

Vos Divae date verba, Sophia, & Vigilantia mater.

Sic *Sophia* fuerit diſſyllabum, quo modo optimi ſaepe Poëtae. Sed neutrum urgueo.
℣. 58. 59.

—— —— —— *tibi ſerviet orbis,*
Fortia virtutum miratur acta tuarum.
Quiſquis erit veſtrae per ſe cadet invidus aulae.

Quum omnia, tum hic, tum in ſequentibus, futuri temporis memorentur geſta, & praeterea laboret metrum, malim omnino

Fortia Virtutum mirabitur acta tuarum.

Recte

Recte etiam pro *prae ſe*, quod olim legebatur, Dempſterus reſtituit *per ſe*, id eſt ſua ſponte, idque jam Ruizius in margine notarat. Eadem locutio reddenda Curtio l. 4. C. 4. §. 5: *Neptunum occupati maris vindicem arripuiſſe belluam, ac molem brevi profecto ruituram.* l. *m. brevi per ſe corruituram.* Etenim *profecto* turpiter languet.

℣. 60.

Afficietque viros legum *pius* enſis *iniquos.*

Juſtinianus *Proöem. inſtitut.* princ: *imperatoriam majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam* legibus *oportet eſſe* armatam. Sane & noſter verſu ſeq. addit:

Barbara Romanos augebunt bella triumphos,
Regnaque ſub veſtris venient fortiſſima plantis.

Pro *afficietque* l. *affligetque.*

℣. 67.

Et Jam crebra manus veloci concita pulſu
Limina quaſſabat. l. *vel. concita paſſu.*

℣. 88.

Fit juſſis mora nulla Dei, mox clauſtra reſolvens
Imperio reſeravit heri. nullus hic *Deo* locus. Forte per conpendium ſcripturae irrepſit vitium, & legendum: *Fit juſſis mora nulla, domus mox cl. res.*

℣. 102.

—— —— *Pars reſpicit altera portum,*
Portum, quem geminae complexant brachia ripae
Moenibus adpoſitis, rapidos contemnere ventos
Et faciunt, praebentque ſalum ſtatione quietum,
Aequoreos frangunt objecto marmore fluctus,
Et prohibent refluas anguſtis faucibus undas.

Imitatus in his eſt Virgil. 1 *Aeneid.* ℣. 163. & *ſeqq:*

℣.

℣. 109.

— — *unde ſolebant*

Undivagum ſpectare fretum. Forte ex ſeculi ſui genio ſcripſerit Poëta, *undivagum ſpectare ferum.* Ut *ferum undivagum* dixerit pro *feras undivagas.* Dubitat equidem V. C. Petr. Burmannus, an *ferae* de belluis marinis recte dicantur, & nondum didiciſſe ſe ingenue fatetur ad illa Lucani l. 1. ℣. 412:

Ventus ab extremo pelagus ſic axe volutet,

Deſtituatque ferens. Sic tamen plus ſemel Ovidius belluam marinam, a qua devoranda ad ſcopulum alligata erat Andromeda, & quam Perſeus confixit, *feram* adpellavit l. 4. *Metam.* ℣. 706. 712. 718. Pedo Albinov. in fragm. *de Navigat. German.* ℣. 101.

Seque feris credunt per inertia fata marinis.

Ceterum in Lucani loco, quod obiter addere liceat, pro *ferens* legerim *furens*, ſic ut ad pelagus referatur. Inſpice quae antecedunt, & idem ſenties opinor. paſſim voces hae confunduntur. *Furere* autem ſicut & *inſanire* dici pelagus, ubi ventis agitatur, quis ignorat?

℣. 114.

Dum loquitur, penſatque pia cum conjuge curas.

Penſare curas hic eſt curas aequare, parili ſollicitudine adfici, quod Virgilius *reſpondere curis* l. 6. *Aen.* ℣. 474.

— — — *conjux ubi priſtinus illi*
Reſpondet curis, aequatque Sichaeus amorem.

℣. 137.

— — — — *cum ſceptra teneret*

For-

Fortis adhuc ſenior, regni tu ſumma regebas
Conſilio moderata gravi. &c.

In his, & quae ſequuntur aliis, liquide Corippum expreſſit cultiſſimus aevi ſui Poëta Guntherus *in Ligurino* l. 1. ℣. 265.

Quem ſibi, dum ſupera frueretur luce ſuperſtes,
Rex patruus dignum gaudebat habere nepotem,
Multaque cognati mandare negotia regni
Sueverat, & ſocium ſummis adſciſcere rebus.

Confer, ſi lubet, apud utrumque reliqua. Nam haec ulterius exſequi nunc non vacat.

℣. 161.

——— ——— ——— ——— *largoque rigabat*
Imbre genas, fletusque Viri veſteſque madebant.

Dempſterus ſe repoſuiſſe ait *pectus*, quum antea inſtar monſtri *fletus* legeretur, quod ſi non placeat, ſcribi poſſe *vultus*. Sed dudum Ruizius in margine Editionis ſuae notarat *forte pectus aut vultus.* ultimum id firmatur ex lib. 1. *Aeneid.* ℣. 469.

Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.

℣. 179.

——— ——— ——— ——— *ipſe tenere*
Sceptra tuus moriens te juſſit avunculus ore.
l. *Sceptra ſuo mor.* &c.

℣. 180.

Adſpice quanta fuit noſtrae ſimul urbis & orbis
Provida cura ſeni. Solent ita de Roma aut Conſtantinopoli, Urbibus Regiis, loquentes, illis *orbem* tamquam pediſequum adjungere, ſic ℣. 248. *lux urbis & orbis* l. 3. ℣. 79. *ſpes urbis & orbis.* Rutil. 1. *Itiner.* ℣. 65.

Dumque offers victis proprii conſortia juris,
Urbem feciſti, quod prius orbis erat.

Sed ibi malim *Orbis feciſti, quod prius urbis erat.*

ỳ. 217.

Hinc eſt quod Iuvenis tota virtute laborans.

Legendum inquit Dempſterus, *Hinc eſt quod Iuvenis*, aut, *hinc etiam juvenis.* Sed & utrumque hoc jam praeceperat Ruizius in margine Editionis ſuae. Ceterum parum quidem intereſt, malim tamen *nota virtute laborans.*

ỳ. 221. 222.

Hic bene ſuſcepti primordia proſpera regni
Diſcreta ratione vocans properare, fideles
Urgebat famulos, & cuncta parare jubebat.

Ruizius in margine ad *vocans* adnotat *forte notans, aut volens, videns.* Quae fideliter ſatis ſua fecit Dempſterus, quando ſcribit *non placet, & forte eſt, ut poſſit legi notans, volens, videns.* Sed nec tot conjecturis opus eſt. Senſus conſtat. Dum recte hoc pacto inſtituatur conſtructio: Hic vocans famulos fideles, urguebat properare primordia proſpera regni bene ſuſcepti ratione diſcretâ, & jubebat parare cuncta. Confuſior paulo verborum eſt ſtructura, at Corippo talis haud inſolens.

ỳ. 250.

Ipſe videbatur cunctis plangentibus unus
Effigie gaudere pia, Diademate comtus,
Purpureaque in veſte jacens requieſcere ſomno,
Credere quod poſſis non duro funere corpus.

In hoc ultimo verſu ſenſum deſidero. Legendum forte

Credere quod poſſis non durum vivere corpus.

i. e.

i. e. corpus non durum, ſeu rigidum, (uti mortuorum eſſe ſolet) quod poſſis credere vitali adhuc aura frui.

℣. 275.

Juſtinianorum ſeries ubi tota laborum
Necto auro inſignita fuit. l. *neto auro*, quem ad modum jam conjeciſſe video Heinſium *ad Ovid. Ibin*. ℣. 74.

℣. 306.

Caſtigatque moras, & plena palatia narrat
Conventu Procerum, ſorti ſenioris ademti
Dilecti numen ſtruerent quo nocte peracta.

Quid haec ſibi velint non capio. An legendum? *dilecti tumulum ſtruerent* &c. aut *d. lumen ſtr.* ut indicentur faces ſepulcrales, in funeribus & ſacris adhiberi ſolitae, jam veteribus olim Chriſtianis, ſic infra l. 3. ℣. 39:

Moeſtaque funereas accendunt agmina ceras.

Ubi V. Dempſter. forte quis dixerit huc pertinere Minucii locum *in Octavio* Cap. 38. *ego vos in hoc magis miror, quem ad modum tribuatis exanimi aut non ſentienti* facem, *aut non ſentienti coronam: cum & beatus non egeat, & miſer non gaudeat floribus. At enim nos exſequias adornamus eadem tranquillitate, qua vivimus, nec adnectimus areſcentem coronam* &c. Atque ita vel hinc conſtaret, antiquis olim Chriſtianis (eorum namque hic cauſſam agit Octavius adverſus Caecilium) morem hunc plane fuiſſe incognitum, qui tamen apud ſequiores deinceps adeo invaluit. Sed quia cum in ſequentibus, tum etiam in iis quae praeceſſerunt, nulla prorſus *facium* occurrit mentio, at unica de coronatione mortuorum, a Chriſtianis negligi ſolita, gentilibus contra ſuperſtitioſiſſime obſervata, malim omnino legere *quem ad modum tribuatis exanimi, aut ſentienti pacem, aut*

 non

non ſentienti, coronam. Idque pene flagitare videntur, quae continenter addit, *cum & beatus non egeat, & miſer non gaudeat floribus.* Quibus ex verbis manifeſtum eſt, in ſuperioribus eum beatum & non beatum, vel ſentientem pacem ac non ſentientem ſibi obpoſuiſſe. Et haec hactenus. Nunc ad Corippum redeo. ℣. 318.

Et fecere duas ſtadia in contraria partes.

Dempſter. l. *ſtudia.* Firmat Virgil. 2. *Aen.* ℣. 39.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Et Stat. 5. *Theb.* 148.

Nec varius fremor, aut ſtudia in contraria rapti
Diſſenſus ut plebe ſolet.

℣. 320.

Nam viridis vernis campus ſeu concolor herbis,
Pinguis oliva, comis luxu nemus omne vireſcit,
Aeſtatis roſeus rubra ſic veſte refulgens &c.

Senſus nullus eſt. Evadet, ſi ſic diſtinxeris:

Nam viridis vernis campus ſeu concolor herbis,
Pinguis oliva comis, luxu nemus omne vireſcit
Aeſtatis, roſeus rubra ſic v. r.

℣. 324. 325.

Autumni ventus, ferrugine dives & oſtro,
Maturas uvas, maturas ſignat ariſtas.
f. *autumni tempus.*

℣. 322. ſic trunce editur:

* * * *referam primum junxiſſe quadrigas.*

Scaliger, ut ſubpleret, legit *Orſilochum ref.* Dempſter. *Cecropidem.* Neutrum probat Vir Doctus *ad*

Mar-

Marmora Oxoniens. p. 167. & mavult *Heniochum referam primas j. q.* Savaro *Oenomaum* hic invenit, in not. *ad Sidon. Carm.* 23. *p.* 198. probante Cl. Perizonio *ad Aelian. Var. Hiſt.* l. 3. C. 38. in fin. Nullum ego definio, nec poſſum, neſcio enim quid ſcripſerit Auctor.

Lib. 2. ℣. 28.

Quas tibi perſolvit tanto pro munere grates
Parvus homo, inmenſi factus genitoris imago?

l. *perſolvet.*

℣. 34.

Quaeque vident homines, & quae non juſſa videri,
Ante oculos ſunt clara tuos, famulantur, adorant.

Ruizius & Dempſterus hic varie emendant, aut *& non permiſſa*, vel *quae non juſſa*, aut *nunquam juſſa.* Quum tamen nulla harum lectionum potior ſit vulgata, qua nihil melius: Et, dicit, quae vident homines, & quae a te juſſa ſunt non videri, ſeu mortales tu videre noluiſti, ſunt ante oculos tuos clara, famulantur tibi, adorant te. Non autem ſenſus elegantia in hoc Poëta ubique adeo eſt expendenda, licet heic loci ſatis equidem conſtet.

℣. 43.

—— —— —— —— Placuere parenti
Orantis pia verba viri, genitusque precanti
Adnuit, & ſanctus regnator ſpiritus inquit.

Dempſterus in veteri exemplari legi refert *genito.* Quod cur adeo ſpernat, non video. quid enim notius inter Chriſtianos ab omni aevo, quam Chriſtum in coelis fidelium cauſſam agere, proque iis apud patrem ſuum precibus intercedere? placuere itaque preces Juſtini Deo Patri, & Filio pro eo deprecanti adnuit. Forte & ſic legi poſſet —— *placuere parenti*

Orantis pia verba viri gemituſque, precanti

Adnuit. Neque enim Chriſtiani ubi de divinis perſonis loquuntur, trium ſemper mentionem faciunt, ſed vel Patris & Filii, vel Spiritus ac Patris, aut Filii Spirituſque. Sic ex Gr. Antonius in Carm. *adv. gent*, prolixe meminit Patris & Verbi, nec tamen S. Spiritus, ℣. 203. & ſeqq.

℣. 94.

Ardentes radios mittit jubar, omnia viſo

Congaudent elementa die. Sic Ruizius Aſſagrius &, poſt eum, Dempſterus repoſuere, quum legeretur *viſu* & *diem.* Sed haud dubie ſcripſerat Corippus *omnia viſum cong. el. diem.* Lineola, quae loco literae *m* ſuper *u* fuerat exarata, a ſequenti librario neglecta eſt, ut id fieri frequenter adſolet, & plures notarunt alii, ac quis neſcit?

℣. 97.

Ipſaque conſpectis gradiuntur lumina terris.

Ruizio haec parum placet lectio, pro qua reponit *gradantur*, Dempſterus ſcribi poſſe ait *gratantur*, quod & in mentem venerat Ruizio, ſed ſibi minime placere addiderat. Sic legendum exiſtimo

Ipſaque conſpectis radiantur lumina terris,

Dixerat nube diſcuſſa ubique jubar radios ſpargere, ſolum nitere, ſegetes vernare, & gramina creſcere. Addit nunc, ipſa ſolis lumina, ubi terras conſpexerint, ſplendentes adeo, magis adhuc radiari, & clariorem inde lucem exoriri. Ceterum Vir Doctus ad marginem libri ſui, cujus mihi copiam fecit Celeb. Wielingius, notarat in MS eſſe *gradantur*, id quod Ruizius voluerat, additque *legendum gratantur.*

℣.

℣. 100.

Egreditur, tunicaque pius inducitur artus.

l. *tunicaque pios i. a.* Sic metrum flagitat, & ſaepe noſter.

℣. 107.

Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quae tergora fuco,
Qui ſolet edomitos victor calcare Tyrannos
Romanus Princeps, & barbara colla domare.

l. *quis ſolet.* i. e. *quibus.* firmant quae ſequuntur:

Auguſtis ſolis hoc cultu competit uti,
Sub quorum eſt pedibus regum cruor.

Sed & ſic legebatur in MS. Viri Docti, quem laudabam, ut nihil adeo dubitandum. *Pelles Parthicae*, quas noſter *Parthica tergora* adpellitat, memorantur quoque in l. 16. §. 7. D. *de public. & vectig: pelles Parthicae, ebur, ferrum indicum.* Quamvis quidam Codices pro *Parthicae* hic ſcriptum habeant *Baumeſtiae*, referente Pio Ant. Bartolino *Annotat. in leges* Cap. 65. (Gruter. *lamp.* To. 1. Syll. 3.)

℣. 114.

Nobilibus gemmis & cocto lucidus auro
Baltheus effulgens lumbos praecinxit heriles.

An melius forte? *& cocto lucidus oſtro.* Ut Virgilius, quem imitatur ſaepius, *& cocto murice tinctum.* Sed non opus, & magis eſt, ut vulgatam praeferam. Quamvis *lucidus* recte vocetur is qui purpura eſt indutus, quo modo & *lumen* de purpureo colore ac purpura dicitur, V. Salmas. *ad Tertull. Pall.* C. 1. p. 96. Ramires. *Pentecontarch.* C. 2. fin.

℣. 137.

Quatuor ingentem clypeis ſublimius orbem

Attollunt lecti Juvenes. Ut ſenſus evadat l. *clypei ſubl.* & ſic quoque conjecerat Vir Doctus.
ỷ. 163.

> —— —— —— *coelique potentem*
> *Exorans dominum, ſacro Diademate juſſit*
> *Auguſtum ſancire caput.*

Sancire hic non eſt latinum ait Dempſterus, quare mallet *vincire.* Sed *ſancire* longe magis emphaticum; notat enim inaugurare, ſanctum & ab aliorum violatione inmune reddere, conſecrare. Sic *ſancire templum* dixit noſter lib. 4. ỷ. 284:

> *Sanxerat Auguſtus Sophiae cognomine templum.*

ỷ. 178.
Ore pio ſic orans ait. Cum lectionem hanc ſalva caeſura haud conſtare animadverteret Ruizius, pro *ſic* reponebat *haec.* Sed adhucdum remanebat vitium in *ait*, cujus primam corripi opotuerat. Dempſterus l. *ore pio haec orans dixit.* Optime in MS Viri Docti, *ore pio ſic orſus ait.*
ỷ. 180.

> *Et patrium Diadema dedit, curaſque regendi*
> *Inpoſuit rerum genitor.* Sic Ruizius & Dempſter.

repoſuere pro *regenti*, quod etiam praeferebat MS V. D. utrumque non male, & ſuum habet ſenſum.
ỷ. 200.

> *Conſcripti patres, noſtri ſpes maxima regni,*
> *Vos eſtis pectus, vos brachia pectoris hujus.*

Huc fere pertinent Verba Arcadii & Honorii in l. 5. princ. Cod. *ad leg. Jul. Majeſt: Senatorum etiam, nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt.* Et hoc quoque, uti alia plura, ex Corippo imitatus eſt Gunther. *Ligurini lib.* 5. *verſ.* 48. & ſeq.

ỷ. 243.

℣. 243.

Sic bene pro meritis donis reſpublica ditat.

Magis puto ex genio Corippi *ſic bene promeritos d. r. d.*

℣. 250.

Omnia deficiunt, tenuantur robore membra.

Sic repoſuit Ruizius pro *ab ore*, quod in exemplari erat, ut exhibet quoque Mſtus Viri Docti.

℣. 251. 252.

Et contracta rigent arentibus oſſa medullis.
Omnibus ſufficiunt ſacrati commoda fiſci,
Ex quibus eſt commune bonum.

Metrum & ſenſus flagitat, ut legamus

Omnibus officiunt ſacrati incommoda fiſci.

℣. 261.

Quod minus ob ſenium factum actumve parentis.

Repetitio illa verborum *factum actumve* ſententiam miſere languere efficit, ſed nec metrum conſtat. l.

Quod minus ob ſenium factum aetatemve parentis.

℣. 312.

*Emittunt dextras pariter * * que remittunt.*

Subplet Barthius l. 43. *advers.* C. 18. *pariter pariterque rem.* cum Putſchio ac Dempſtero, & ſic legendum notarat Vir Doctus in marg. libri ſui. Ceterum non raro contingere, ut voces, quae geminandae fuerant, ſemel dumtaxat a librariis ponerentur, dudum monuit Muretus l. 6. *Var. Lect.* C. 14.

℣. 315.

Diſponunt cantus modulos & cantibus addunt.

Sic reſtituiſſe lectionem priſcam & modum Michaelem Aſſagrium non ſine Corippiano quodam genio ait Barthius d. l. quamvis fortaſſe *motum* legi poſſit. In exemplari Th. Dempſteri erat *d. c. & modum cantibus addunt.* & ita quoque MS Viri D.

℣. 339.

Non patitur ſeclorum ſecta meorum.

Sic ſaepe loquuntur Imperatores in utroque Codice, V. Briſſon. *de Verbor. ſignif.* edit. noviſſ. & Ritterſhuſ. *ad Plin. lib.* 3. *Epiſt.* 98.

℣. 17. 18.

Quas ſupplex Cleopatra dedit, cum vincula fratris
Frangeret, & rupto pallens cuſtode veniret.

Barthius hic *ruptum* exponit *corruptum.* Sed re vera *cuſtos* pro *cuſtodia* ponitur, quam perrupiſſe Cleopatram ait, idque firmat quod anteceſſerat & *vincula fratris* FRANGERET. Parili modo optimos quosque loqui, dubitabit arbitror nemo.

℣. 28.

Ut prius ingrediens corpus miſerabile vidit.

Barth. *ut pius.* at quid opus? an non primus omnium ingrediebatur Juſtinus? ſic puto.

℣. 63.

Sacra coronatis ornavit moenia tectis.

l. *textis.* Statius, quem aliquoties imitatur noſter, 6. *Thebaid.* ℣. 366.

Dumque chelym lauro, textumque illuſtre coronae
Subligat.

℣. 68.

Ludere tunc iuvenes & laudibus addere laudes

In-

Incipiunt. Barth. l. 46. C. 15. malebat *& luſibus addere laudes.* Non male. alioquin edita firmatur ex l. 4. ỷ. 164.

Tum phaleris phaleras, & laudibus addere laudes.

Et l. 4, ỷ. 275. *Et voces vocibus addunt.* Atque ita paſſim.

ỷ. 73.

Mille voluptatum ſpecies, convivia mille.

Recte Dempſterus tuetur *convicia.* Nam quemlibet plurium concentum *convicium* indicat, conf. Commentat. *ad Phaedr.* l. 1. F. 6.

ỷ. 84.

Arce ſub Ibalia Laërtia lumina ſervans.

Pro *Ibalia* Dempſter. correxit *Oebalia.* Sed & pro *lumina* legendum videtur *limina.* Paſſim haec confunduntur, V. Virgil. 2 *Aen.* ỷ. 567.

—— —— —— *cum limina Veſtae*
Servantem, & tacitam ſecreta in ſede latentem
Tyndarida adſpicio. Ubi quaedam *lumina*, l. 3. Cod. *Sentent. reſc. non poſſe: ſed eos, qui talia reſcripta meruerunt, etiam lumine Judiciorum expelli.* al. *limine.* Quid ni melius? at haec diutius perſequi infiniti foret operis.

ỷ. 96.

Temperie ſolita parvus cibus ore modeſto
Sumitur. Mallem *parcus*, ni ſic loqui amaret noſter, ſupra l. 2. ỷ. 376. *parvosque cibos ſub nocte reponit.* Et alibi. Sed & antiquiores parili modo locutos fuiſſe, patet ex iis quae notant Burmann. *ad Lucan.* l. 2. ỷ. 128. Cort. *ad Plin. lib.* 8. *Epiſt.* 14. §. 14.

ỷ. 100.

ỽ. 100.

—— —— —— *cura ipſa regendi*
Clementisque animus praeſumere parcius eſcas
Jure facit, potumque parum ſapientia quaerit.

Ruizius & Dempſterus emendant *potusque.* tu diſtingue

—— —— —— *praeſumere parcius eſcas*
Jure facit potumque, parum s. q.

ỽ. 102.

Aurea purpureis apponunt fercula menſis
Pondere gemmarum plus gravia.

Quum prima in *gravia* corripiatur, Dempſterus malebat *praegrandia*, meliore ſane metro, ſenſu tamen parum adpoſito. Ego *plus gravia* retinuerim, qui ſic cenſeo cum Celeb. Burmanno *ad Calpurn.* ecl. 3. ỽ. 69: *Si qua forte, ſine ſuſpicione corrupti a librariis loci, talia occurrunt, toleranda, ſed ubi alia & ſincerior lectio eſt, non obtrudenda.* Quod ſi Vir Magnus de elegantioribus ita judicaverit, quid ni & nobis idem de Corippo dicere liceat? Poëta equidem pro ſeculo, quo vivebat, ſatis gravi, ſed quem tamen aetatis ſuae genius haud parum corrupit. Nec itaque magno adeo opere caeſuram ſemper curaſſe videri poteſt, ut & adſtruunt loca plurima, quae omnia librariis tribuere ego ſane non auſim, maxime ubi lectio ingenioſior occurrat, quam ut a rudi ſciolo profecta videatur, conf. ipſum Dempſter. ad lib. 3. ỽ. 148.

ỽ. 107. 108.

Ars & materies animas ſimul addere poſſunt,
Addendi vitam niſi tu natura negares.

l. *poſſent.* Sic ſenſus exigit.

ỽ. 109.

ỳ. 109.

Ingeniis hominum poſt mortem vivere famam
Conceſſum eſt. l. *fama*.

ỳ. 145. 148.

Gaudebant elementa ſimul, mollique calebant
Temperie, votisque ſuis nova Roma fiebat.

Senſus ac metrum *fiebat* reſpuit. Ruizius &, ex eo, Dempſterus reponebant *favebat*, aut *fremebat*. Legendum, ut arbitror, *votiſque ſuis nova Roma nitebat*. Firmat lib. 4. ỳ. 101.

Sol radians, & conſul ovans, nova Roma nitebat.

ỳ. 207.

Regales menſas, epuliſque onerare ſupernis.

Mirum, nec Ruizium aut Dempſterum voluiſſe *ep. onerare ſuperbis*. Nam & obvia eſt emendatio, & amat hoc verbum noſter.

Lib. 4. ỳ. 14.

Turbatur tota lignorum venditor urbe
Emptorum numero, ſtudio ruit agmen emendi:
Robora ſylvarum tunc plauſtra gementia ducunt,
Magnis ponderibus tractu ſtridente rotarum.
Explicitae moles.

Turbatiſſimus ſenſus. Sic lego

—— —— —— *ſt. ruit agmen emendi*
Robora ſylvarum: tunc plauſtra gementia ducunt
Magnis ponderibus, tractu ſtridente rotarum
Explicitae molis. Liquidiſſime.

ỳ. 23., 24.
Arboribus ferrum ſedit; gemit undique feſſus
Conciſor nemorum, crebriſque ſecuribus ictus

Con-

Congeminant. l. *congeminat*, ut ad conciſorem referatur. Sin malis ad arbores, repone *cr.ſec. ictae congeminant.*

ỷ. 40.

Iliciaeque trabes fortesque, & pallida buxus.

Duplex *que* peſſime hic inſeritur. l. *Iliciaeque trabes fortes, & p. b.* aut, quod malim, *Il. trabes, fortisque & pall. b.*

ỷ. 48.

Mille ſecant in fruſtra trabes, tonat aethere pulſans Malleus. Muncker. *ad Hygin.* fab. 64. emendat *aethera.* recte, ut puto.

ỷ. 77. 78.

Exornantque locos, & feſta fronde coronant Partes quique ſuas. Melius haud dubie *partes quisque ſuas.* Nec forte ſic ſcripſerit auctor.

ỷ. 96.

— — — Jubar axe ſereno
Emicuit, votisque pie ſeſe obtulit orbi.

l. *votiſque pium ſeſe obt. o.* aut *v. pie ſeſe obt. orbis.*

ỷ. 46.

— — — Proemia ſumunt

Conſulis, & Mundi Domini. Sic Antoninus apud Volus. Maecianum l. 9. D. *de lege Rhodia:* εγω μεν τυ Κοσμυ κυριος. *ego quidem Mundi Dominus.* Ubi tamen fuit, qui mundum ſive ornatum muliebrem intelligeret. belliſſime profecto!

ỷ. 128.

Cenſuramque piam ſervans gravitate reſedit,
Caeſareos augens habitus, ritusque Gabinos:
Cujus id aſpiciens radiabat purpura gemmis,

Vin-

Vincens luce diem. Nullum Hercule ſenſum extorquere valeo, qui meus forte ſtupor eſt! Nec ſuccurrit quidpiam, cui merito adquieſcas. An denuo in metrum peccarit Corippus, & legendum *Cujus & amiciens rad. purp. g.?* ut verum fatear, non puto. Ampliandum itaque.

ỷ. 139. 140.

Auguſti primum renovaſti Caeſaris aevum.
Clarius eſt, meliusque tuum: tua gaudia tecum:
Hinc veſter primus feliciter excipit annus.

Poſt *tecum* tollenda interpunctio. Sic conſtiterit ſententia.

ỷ. 143.

Inde Senatorum ſacro recitantur ab albo
Nomina, Conſcripti patres: qua voce citati
Adcedunt. l. *conſ. patres qua v. c.* ſublata diſtinctione.

ỷ. 171.

Sic quos ille rigat, fontes & flumina replet,
Et praebet largas haurire volentibus undas.

Non concoquo. l. *ſic quis ille rigat* (aut *riget*) *font. & fl. r.*

ỷ. 257.

—— *Et primis praeco clamoribus ibat,*
Omnibus imperitans ſectis praecedere turmis.

Ruizius in margine adſcripſerat *forte tectis.* Sed *ſectis* eſt diviſis, certo ordine & numero procedentibus.

ỷ. 288.

Aut magis ignarum recto Deus ordine ducit
Ante futurorum quae ſunt arcana bonorum,
Auſpiciis ſacrare piis. l. *duxit* & *ſint.*

ỷ. 312.

℣. 312.

—— —— —— illic pia cernitur eſſe
Indiviſa manens patris genitique poteſtas:
Spiritus & ſanctus ſubſtantia creditur una
Tres ſunt perſonae, ſubſiſtunt, nomine fulgent:
Utque Pater Deus eſt, Genitus Deus aequus bonore,
Spiritus & Sanctus pariter Deus.

Senſus eſt perturbatior. Paullum mutata lectione ſic tranſpoſuerim:

Spiritus & Sanctus ſubſiſtit, numine fulget,
Tres ſunt perſonae, ſubſtantia creditur una,
Utque Pater Deus eſt &c.

℣. 324.

Conſimilis Deitate Patris, omnique profecto
Conſimilis: ſine peccato peccata relaxans.

l. *Hominique profecto conſ.* ex compendio ſcripturae error obvius.

℣. 329.

In caelum adſcendens a dextris ſedit bonori
Aequaevi patris. Malim *bonore.*

℣. 369.

Ut pereant, juſtaſque ſuo dent ſanguine terras.

l. *dent ſ. poenas.* aut *udasque ſuo d. s. t.*

℣. 386.

Adſpectu mitis, non a gravitate benignus
Adſtabat Narſes, ſedemque ornabat berilem.

l. *adſp. mitis, juncta gravitate benignus.* Sic ſupra locutus erat plus ſemel.

CON-

CONJECTANEA
IN
AUCTOREM COLLATIONIS
LEGUM
MOSAICARUM ET ROMANARUM.

TIT. I. §. VI.

Verba reſcripti: & qui hominem occidit, abſolvi ſolet, ſi non occidendi animo id admiſit: & qui non occidit, ſed voluit occidere, pro homicida damnatur. E re itaque conſtituendum ex quo ferro percuſſit ipſa funditus. Nam ſi gladium inſtrinxit, aut telo percuſſit, quid dubium, quin occidendi animo percuſſerit?

Varie haec *e re itaque conſtit. ex quo* &c. emendant Eruditi. Schultingius etiam potiſſimam partem inter ſpuria retulit. Mihi, pace Magnorum Heroum, ſalva videntur. Verba tantum quaedam ſede ſua fuerant dejecta, ac deinceps turbas dedere. Ea vero ſic in integrum reſtituo: *e re itaque ipſa conſtituendum funditus, ex quo ferro percuſſit.* Hic *funditus* idem ac plane, omnimodo, ut paſſim veteres. *Ex quo* autem eſt ex qua cauſſa, ob quod, quo animi propoſito. Atque ita millies praepoſitionem *ex* uſitatam novimus. Sic ergo dicet: e re, itaque ipſa

omnimodo conſtituendum, quem in finem, aut quo conſilio, an animo occidendi, nec ne, ferro percuſſerit. pro *gladium inſtrinxit* repoſuerim *gl. ſtrinxit.* Petron. *in Satyr: quum ego proclamarem, gladium ſtrinxit.* Martial. 5. *Epigr.*

Quid gladium demens Romana ſtringis in ora?

Curt. l. 7. C. 4: *Beſſus, & ingenio, & multo mero ferox, adeo exarſit, ut vix ab amicis, quo minus occideret eum (nam ſtrinxerat quoque acinacem) contineretur.* Et centies alii. Similis ſcripturae error in l. 44. D. *de hered. inſtit. reliquus heres conſulebat, cum ipſe monimentum inſtruxiſſet.* l. *mon. ſtruxiſſet.* Antea *monumentum facere* dixerat. *το in* per praecedentem literam *m* inrepſit, idque quoties in MSS. uſu veniat dudum notarunt alii.

Sequitur: *ſic lapide percuſſit, aut cucuma, aut cum forte rixaretur, ferro percuſſit, ſed non occidendi mente.* l. *ſecus ſi clavi percuſſit*, conf. l. 1. §. 3. D. *ad leg. Cornel. de ſicar.* de voce porro *cucuma*, praeter Schultingium, videri poteſt Angel. Politian. *obſervat. & emendat.* C. 30. Jo. Bapt. Pius *Annotat. poſterior.* Cap. 61. & denique Pius Ant. Bartolin. *Annotat. in leges*, C. 36. & 37. (in Gruteri *lampade* To. 1.) ubi & d. legem 1. explicant, confer, ſi tanti videatur, Meurſii *Themid. Att.* l. 2. C. 16.

Ergo hoc exquirite: & ſi voluntas occidendi fuit, ut homicidam ſervum ſupplicio cum jure jubete affici. Rurſus hic Viri Docti ſeſe exercent, quorum conjecturas videre licet in notis tum Celeb. Schultingii, tum aliorum ad hunc locum, quas adeoque hic fruſtra repetere nil adtinet. Si tanta inter nomina ſuffragium mihi detur, ſic emendaverim: *ergo hoc exquirito, & ſi voluntas occidendi fuit, ut homicidam certum ſupplicio eum jure jubeto adfici.* Si, inquit, voluntas occidendi adfuerit, licet non occiderit, ut homicidam cer-

certum, i. e. ac ſi re vera homicidium conmiſiſſet, jure eum punito.

§. X.

Quod ſi ita eſt, neque ſuper hoc ambigi poterit, omni eum metu ac ſuſpicione, quod ex admiſſi diſcrimine ſuſtinet, ſecundum id, quod adnotatione noſtra conprebenſum eſt, volumus liberari. l. *omni eum m. ac ſuſpicione, quod ex admiſſo diſcriminis ſuſtinet* &c. Sic ſenſus exigit.

§. XI.

Verba conſultationis & reſcripti ita ſe habent em. Inter Clodium, optime Imperator, & Euariſtum, cognovit, quod Clodius Lupi filius in convivio, dum ſago jactatur, culpa Marii Euariſti ita male acceptus fuerit, ut poſt diem quintum moreretur: adque apparebat nulla inimicitia cum Euariſti fuiſſe nec cupiditatis culpam coercendum credidit, ut ceteri ejusdem aetatis juvenes emendarentur.

Corrupta haec, ut quivis videt. reſcribo: *Verba conſult. & reſcr. ita ſe habent: cum inter Clodium, Optime Imperator, & Euariſtum cognovi.* tum deinde, *adque adparebat nullam inimicitiae cum Euariſti fuiſſe, nec cupiditatis culpam, coercendum credidi*, &c. *Adque* hic ſcriptum pro *atque*, nam ita veteres literis *d* & *t* promiſcue uti ſolebant, *aud* exarando pro *aut*, *ad* pro *at*, ac ſic porro. Ita in noſtri Tit. 2. §. 2. legitur *adque collegi ex facto*, pro *atque colligi*, ubi adeoque non opus, ut cum Pithoeo *idque* reſcribamus, conf. Viri docti *obſerv. in Pandectas* vol. 2. *Obſ. Miſcell.* p. 136. Burer. *ad Vellej. Paterc.* 1. 14. Scriver. *ad Pervigil. Vener.* ℣. 22. Dempſter. *in Coripp.* lib. 2. adde Volum. 4. *Obſ. Miſc.* p. 294. Reines. *Commentar. ad inſcriptiones.* Et innumeros alios. Hac vero admiſſa emendatione loci noſtri ſenſus is

fuerit: atque cum adparebat in perpetrata caede nullam Euariſti aut inimicitiae, aut cupiditatis, id eſt, malevoli propoſiti Clodium interficiendi, culpam interveniſſe, ob id tamen eum coercendum credidi, ut ejusdem aetatis juvenes hoc exemplo emendarentur. Conſtructio paullo eſt confuſior, ſed Jctis ejusmodi non infrequens.

TIT. II. §. IV.

Rupiſſe eum utique accipiemus, qui vulneraverit, vel loris, vel pugnis cedit, vel telo cum aliovis genere cederet hominis corpus. l. *telo cum*, (aut *cum telo*) *aliove genere.* h. e. qui caederet hominis corpus, vel cum telo, vel quo alio modo; eoque ſenſu τo *genus* ſaepe uſurpatur, quod multis probare otioſi eſſet hominis. Ulpianus in l. 27. § 17. D. *ad leg. Aquil.* plenius ait, ſed a manu interpolatoris, *vel telo, vel quo alio, ut ſcinderet alicui corpus.* Ex qua eadem lege pro *cedit* Schultingius malebat *cecidit.* Quod quidem recte, at hic non admodum neceſſarium. Paſſim ita veteres modos & tempora variare ſoliti, V. Burmann. *ad Lucan.* l. 1. ℣. 316. praeter hoc, ſaepiſſime verba Jctorum inverterunt Tribonianus, ejusve ſocii, ut adeo non ſemper ex fragmentis eorum quae in Pandectis hodie ſuperſunt, apud noſtrum memorata ad amuſſim emendari aut queant, aut debeant. Quod & alibi monemus.

Sequitur: *de cetero ſi in nullo ſervum pretio viliorem deterioremve fecerit, ad Aquiliam ceſſat, injuriarumque erit agendum. Ad Aquiliam* hic nihili: ſcriptum fuerat *ac. Aquil.* unde deinceps ſciolus aliquis, ſolam mercedem ſpirans, atque idcirco, uti ſolebant, propere ſcribens, *ad Aquiliam* effinxit, quum vera eſſet lectio *actio Aquiliana ceſſat.*

Pergit porro: *ergo & ſi pretio quidem non ſit deterior factus ſervus, verum ſumptus in ſalute ejus & ſani-*

ſanitate facti ſunt, in haec nec mihi videtur damni Aquilia lege poſſe: Contrarium plane cum habeatur in cit. l. 27. §. 17. fin. putem *nec* per praecedens *hec* intruſum fuiſſe, contra *pro damni Aquilia* ſcriptum credo *damni agere Aquilia l. p.* cum exaratum eſſet *ag. aq.* iſtud *agere* ſequens vox abſorbſit infeliciter. pariter infra Tit. 12. §. 7. *item libro* VI. *ex Viviano relatum eſt, ſi fornum ſecundum parietem communem haberes, an damni injuria teneris? & ait, non poſſet id Aquilia lege quia nec cum eo qui focum haberet,* Malim *& ait, non poſſe ad id agi Aquilia lege* cet. Sed an & contemnenda prorſus heic loci ſequens lectio? *in haec mihi videtur damni dati Aquilia agi poſſe.* Sane per *damni* facile quod addebatur *dati* excidere potuit, pro *lege* autem in Codice Scaligeri diſerte *agi* habetur, ſi fides Pittenio; is enim variantes ex illo Codice ad librum ſuum adſcripſit. Iſtud vero exemplar ſibi conparaverat Cl. Wielingius, qui & mecum humaniſſime conmunicavit. Eodem uſus eſt Schultingius, (v. *praefat. in Juriſprud. antejuſtin. p.* ſi numeres 14.) & diverſas ex Pittenio lectiones ut plurimum ſatis fideliter adtulit. Hic tamen *in Var. Lection.* notat MS. Scalig. praeferre *da. Aquilia lege agi poſſe,* quum Pittenius, uti dixi, pro *lege* ibi exaratum fuiſſe *agi* liquidiſſime indicet. Sed id quidem parum referat. Ceterum pro *ſumptus in ſalute ejus & ſanitate facti ſunt* in Taepius laudata l. 27. legitur *in ſalutem ejus & ſanitatem.* Quod, licet melius videatur Summo Schultingio, an hic reponendum ſit, ſubdubito, cum praepoſitio *in* ab optimis auctoribus & in jure noſtro frequenter hoc modo adhibeatur. ita apud Plin. *Panegyr.* C. 23. §. 5: *ut in unius ſalute collata omnium vota!* uti in plurimis & antiquioribus fere omnibus Editionibus legitur, poſterioribus perperam inmutatum. Sic & l. 1. §. 13. *ad SCtum Turpil: incidit in hoc Senatuſconſulto.* Confer

quae ad d. Plinii locum Jo. Arntzenius adſcripſit, eumdemque inſpice ad Cap. 37. & alibi. quem praeter alios bene multos hic nominaſſe ſuffecerit.

§. V.

Paulus libro ſingulari & Titulo de injuriis. Generaliter dicitur injuria omne, quod non jure fit. ſpecialier alia eſt contumelia, quam graeci ἀδικίαν *vocant: nam cum Praetor noſter adverſum nos pronuntiaret, injuriam nos accepiſſe dicimus.* Corrupta haec ſic refingo *generaliter dicitur injuria omne, quod non jure fit: ſpecialiter contumelia: alias eſt, quam Graeci* ἀδικίαν *vocant.* Conferri poſſunt verba Ulpiani l. 1. princ. *π. de injur.* pro *cum Praetor noſter* legendum eſſe *cum Praetor non jure* acute monuit Schultingius in Commentario.

Sequitur: *unde apparet non verum eſſe quod Labeo putabat, apud Praetorem injuriam* ὕβριν *duntaxat ſignificare. Communem omnibus enim juris eſt, quod ſemper adverſus bonos mores fit, idque non fieri alicujus intereſt.* Vitium evidens. Scriptum forte —— *ſignificare. Commune omnibus enim injuriis eſt, quod ſemper* &c. Hoc ſenſu: unde paret perperam putaſſe Labeonem, apud ſolum dumtaxat Praetorem injuriam ὕβριν notare, commune enim (vocabulum) eſt omnibus injuriis, quia (injuria) ſemper adverſus bonos mores fit, & alicujus intereſt non fieri. *quod* itaque hic vel idem ac *quia*, uti millies, indicabit, aut referendum potius ad praecedens *injuriis*, ut poſitum fuerit pro *quae*, ſic optimi quique. Nepos *in vita Timothei* Cap. 1: *Samum cepit, in qua obpugnanda ſuperiore bello Athenienſes mille & ducenta talenta conſumſerant*, id *ille ſine ulla publica inpenſa populo reſtituit*. Plura de hujuſmodi generum mutationibus dabunt Viri Cl. Burmann. *ad Vellej. Paterc.* l. 1. C. 16. & Cortius *ad Plin. lib.* 3. *Epiſt.* 5. τι *enim* porro,

ut

ut id addam, loco ſuo non movendum; ſaepiſſime namque poſt ſecundam & tertiam quoque vocem uſitatur haec conjunctio, ut exemplorum cumulo adſtruxit Cl. Arntzen. *ad Plinii Paneg.* C. 18. addi poteſt ex jure Civili l. 244. D. *de Verb ſignif.* ubi: *ſimul atque enim victus quis eſt ejus maleficii.* Sed hiſce diutius inmorari & taedet, & pudet. Ceterum ὕβριν notare injuriam quamlibet, praeſertim eam, qua id quod juſtum erat, & alicui debebatur, ipſi denegamus, patet ex Apollodori *Biblioth.* II. 5: Απολλων και Ποσειδων την λαομεδοντος ὕβριν πειρασαι θελοντες, εικασθεντες ανθρωποις, ὑπεσχετο επι μισθω τειχιζειν το Περγαμον. *Apollo & Neptunus Laomedontis iniquitatem tentare volentes, hominibus ſimiles facti, ſub certa mercede cum eo paciſcuntur Pergama muris munire.* In legibus Atticis ὕβρις proprie dicebatur injuria, quae puero ingenuo aut mulieri infertur, V. Sam. Petiti *Leges Att.* Sed ad alia.

§. VI.

Si enim & formula concepta eſt: quod Nigidius illum inmiſit Aulo Agerio infamandi cauſſa. Salmaſius *in obſerv. ad jus Att. & Rom.* pro *illum inmiſit* mavult *carmen emiſit*, docente id Celeb. Schultingio, at non probante, ut merito. an forte? *libellum emiſit Auli Agerii i. e.*

TIT. III. §. IV.

Propter immoderatam caſtigationem calumniae accuſationem emergere, innotitiae ratio cujus fiduciam geris, non permittit. Pithoeus legit *innocentiae.* in Cod. Scalig. erat *innoxiae.* Sic *innoxia* fuerit ſubſtantivum ab *in* & *noxia*, quod culpam denotat. id autem, licet alicubi forte haud obvium, linguae certe genio non repugnat.

TIT. IV. §. II.

Secundo vero capite permittitur pater filias ſuas, quas in poteſtatem habet, ut in ea, quae auctore, cum in poteſtate eſſet, viro in manum convenerit, adulterum domui ſuae generive ſui deprehenderit &c. Recte Pithoeus locum depravatum diſtinxit & emendavit *Secundo vero capite permittit patri*, (Schulting. *permittitur pater*, forte melius) *ſi in filia ſua, quam in poteſtatem habet, aut in ea, quae eo auctore, cum in poteſtate eſſet, viro in manum convenerit, adulterum domi ſuae* (retineri potuerat *domui ſuae*, quod & ipſe Vir D. alibi tuetur) *generive deprehenderit*. de locutione autem iſta *adulterum* in filia *deprehenderit* conferendus Meurs. *Them. Att.* l. 1. 5. optime quoque Pithoeus ex veteri Codice retinuit *in poteſtatem habet*, quo modo Juriſconſulti aliique Veterum paſſim, vide Celeb. Duker. *de Latinit. vet. jctor. pag.* 350. 351. Eruditos *ad Caeſar. de bell. Gall.* l 4. C. 12. & *Phaedr. lib.* 5 *Fab.* 1. Barth. *ad Nemeſian. ecl.* 2. Arntzen. *ad Aur. Victor.* pluresque. ita Tit. 14. §. 3: in *provinciam enim Praeſidum Provinciarum.* pro *in provincia.*

§. X.

Papianus idem. Si maritus uxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidit, an in legem de ſicariis incidit, quaero. Reſpondit. Nulla parte legis marito uxorem occidere conceditur. Quare ea parte contra legem feciſſe eum non dubitantur non ambigitur. Sed ſi de poena tractas, non his quae aliquid ejus honeſtiſſimo calori permittatur ambigitur. Sic dicit, non dubitantur, ut non quaſi homicida puniatur capite vel deportatione: Sed uſque ad exitium (Pith. *exilium*) *poena ejus ſtatuitur.* Si me audis, quantocius reſcribe *quare ea parte contra legem feciſſe eum non dubitatur. Sed ſi de*

ſi de poena tractas, non hic, quin aliquid ejus honeſtiſſimo calori remittatur, ambigitur. Sic dicit, non dubitatur, ut non quaſi homic. &c. pro *permittatur* emendavi *remittatur.* Sic tamen in l. 37. *D. de Pact: Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt: debitori reipublicae a curatore permitti pecunias non poſſe: & cum Philippenſibus remiſſae eſſent, revocandas.* Sed & ibi libentius *remitti* legerim, ut jam viſum aliis. Idem dicendum de l. 6. §. 4. *D. de jure Patron.* & in l. 3. *de publ. judic.* pro *publica accuſatio reo vel rea ante defunctis permittitur*, reponendum eſſe *perimitur* probant Baſilica, in quibus ἀναιρεῖται, licet alia omnia moneat Vir Maximus Jacob. Cujacius lib. 21, *obſervat.* Cap. 29.

§. XI.

Poteſt videri ea ratio fuiſſe permittendi iſtis perſonis de ſervis quaeſtionem habere, ut diligentius dolorem animi ſui, item injuriam lecti & domus non translatitie perſequerentur. In veteri Pithoei libro pro *lecti* habebatur *lex.* Et ſic etiam MStus Codex Scaligeri. Quod non adeo contemnendum, dum *domus* hic nominandi caſu intelligatur, non gignendi, ut Grammaticorum vocabulis utar. Quid ſi ex conpendio ſcripturae error ſit ortus, ac legamus? *item injuriam ſuam lex & dominus non tr. perſeq.* Sed nihil urgueo.

TIT. VI. §. IV.

Diſſimulare ea, quae a quibusdam in praeteritum nefarie inceſteque commiſſa ſunt, non oportere credimus, cum vel cobibenda ſunt, vel etiam vindicanda, inſurgere nos diſciplina noſtrorum temporum cohortatur. l. *cum vero cobibenda ſint.* aut *ſed cum vel cob. s.* ut videatur illud *ſed* per praecedentem literam *S.* in verbo *credimus* abſorbtum fuiſſe, maxime cum, uti notum, in antiquis Codicibus duae eaedem literae ſibi

 ſucce-

ſuccedentes una ſaepe majuſcula exprimi ſolerent. Unde non infrequens errandi occaſio.

TIT. VII. §. V.

Nec manifeſtus fur eſt, qui intra rapiendo quidem comprehenſus non eſt, ſed eum feciſſe negari non poteſt. Senſus exigit vel *in rapiendo*, vel *inter rapiendum.* At novi quidem *in* ſaepe pro *intra* poni, idque dudum me docuerunt Cl. Oudendorp. *ad Caeſ. de bello Gall.* lib. 5. Cap. 24. & Erudit. van Staveren *ad Corn. Nepot. in Att.* C. 12. At non memini exemplorum, ubi viciſſim *intra* pro *in* adhibeatur. Forte obvenerint alii. Nihil ego definio. Sed ad reliqua.

In fine ejusdem §phi editur: *oblati agere poteſt, penes quem res concepti inventa eſt.* l. *p. quem res concepta & inv. e.*

TIT. IX. §. VII.

Item qui falſas teſtationes teſtamentave falſa invicem dicenda aut obſignanda dolo malo curaverit, Licinio V. & Tauro Conſſ. Pittenius pro *Licinio V.* legendum conjiciebat *Lepido*, & adſcripſerat *a. U. C.* 762. Quo M. Aemilius Lepidus & T. Statilius Taurus II. Conſulatum geſſerunt. Ut conſtat ex Faſtis.

TIT. XI. §. III.

Atroces autem ſunt (pecorum abactores) *qui equos & greges ovium de ſtabulo, vel de paſcuis abigunt, vel ſi id ſaepius aut a ferro conducta manu faciunt.* l. *vel ſi id ſaevius, aut ferro, aut cond. m. f.* Vulgatam enim ſenſus reſpuit. Ceterum de *abigeis*, praeter peculiares ad hanc materiam Commentatores, notavit quaedam Lamb. Danaeus *Ethices Chriſtianae* lib. 2. Ubi & reliqua delictorum genera, aliaque, inſtituta Divinae legis cum jure Civili collatione, explicat atque illuſtrat. Quem ſemel excitaſſe ſuffecerit, ut

habe-

habeant harum deliciarum ſtudioſi, quem cum hoc auctore quodammodo conferre poſſint.

TIT. XII. §. VII.

Ulpianus libro ad Edictum (ſubplet Pith. *lib.* 18. *ad Ed.*) *ſub titulo ſi fatebitur injuria occiſum eſſe in ſimplum. Et cum doceret.* l. *& cum diceret.* Putem vero auctorem noſtrum brevitatis ergo partem tamtum Tituli adſcripſiſſe, non rubricam integram. Sed non adeo haec magni momenti. Majoris ſunt, quae, nonnullis interjectis, ſequuntur:

Cujus ſententia ſic reſcripto Divi Severi comprobata eſt in haec verba. Profiteri propter ignem pabuli gratia factus culpa ſervorum Vectoriae Aſtiliae evagatus agrum tuum, ut proponis, depopulatus eſt, ad exemplum legis Aquiliae noxali judicio acturus, ſi litis aeſtimatio permittitur, judicium cum adire poteſt. Pro *profiteri propter ignem* Pithoeus & Freherus emendant *ſi, ut profiteris, ignis.* Sed merito hoc rejicit Celeb. Schultingius, quod mox iterum ſequatur *ut proponis.* Ipſe vero plura excidiſſe credit, nec ſine ope veteris libri hoc vulnus eſſe curabile. Sed audendum aliquid. tentabam *prope* (vel *propter*) *iter ignis pabuli gratia factus culpa ſerv. Vect. Aſt.* facile ex *prope iter* aut *propter iter* ab inperito aliquo ſciolo *profiteri propter* efformari potuit. *Ignis* vero pro *ignem* reponatur ſequentia clamant. Verba quoque *judicium cum adire poteſt* plane mihi frigere cum videantur, hac veſte induerim *judicium* (vel *judicem*) *cum ea adire potes.*

Pergit porro: *Videlicet non eſt viſa Aquilia ſufficere. Si forte ſervus quae idem conductores coloni ad fornacem obdormiſſent, & villa fuerit exuſta.* l. *ſi forte ſervus quidam couductoris coloni ad forn. obdormiſſet.*

Sequitur: *ideo aequum putat in factum actionem dandam. Sed non proponit exuſtum parietem. Sane enim quaeri*

quaeri poteſt, *nondum mihi damnum dederit*, *&* (Schult. *ſed*) *ita ignem habeat*, *ut metuam*, *ne mihi det*, *aequum ſit me inter* (recte Pith. *interim*) *actionem idem in factum inpetrare*. l. *act. itidem in f.* nihil vero exigit, ut pro *nondum mihi damnum dederit* reponamus *ſi nondum*. Satis namque commode *ſi* poteſt ſubintelligi, ut centies alii, l. 19. D. *ad leg. Jul. de adulter: adulter diem ſuum obierit*, *conſtitutum eſt*, *etiam mortuo adultero*, *ſine praeſcriptione mulierem poſſe accuſari*. h. e. *ſi adulter diem ſuum obierit*. Et paſſim, V. ſi lubet, Vlit. *ad Gratii Cyneg.* ℣. 60. Longol. *ad Plin. lib.* 10. *ep.* 82. Arntzen. ad Caton. *lib.* 4. *Diſt.* 41. Praeter innumeros alios. Sed nec pro *aequum ſit* legerim *an aequum ſit*. Saepius ita *an* & *ne* in interrogationibus negliguntur. Quod nemo neſcit, niſi qui omnia. Aliter quidem haec habentur in l. 27. §. 10. *ad leg. Aquil.* at ſatis patet Tribonianum verba hujus legis, more ſuo, plane invertiſſe, quod d. L. 27. cum auctoris noſtri §. 7. h. t. conferenti conſtabit uberrime.

TIT. XV.

Inſcribitur Titulus *incipit de Mathematicis & Manichaeis*. Sed videtur poſt *Mathematicis* exidiſſe *Maleficis*. in fine certe ſic legitur: *Explicit Titulus de Mathematicis*, *Maleficis & Manichaeis*. In Codice Juſtinianeo lib. 9. Tit. 18. & Theodoſ. L. 9. T. 16. inſcriptio eſt *de Maleficis*, *& Mathematicis*, *& ceteris ſimilibus*. Ceterum Auctores, qui de Senatusconſultis & Edictis, contra Mathematicos ſive Aſtrologos latis, egerunt, longo ordine recenſentur a Jo. Alb. Fabricio *in Syll. Scriptor. qui verit. rel. Chriſt. aſſer.* C. 16. p. 400. & ſeqq. quibus, qui contra Mathematicos aliquid ſunt commentati, addi potuiſſet Alciatus *ad Tit. D. de Verbor. ſignif. leg.* 5. §. 1. conf. Thyſii *Exercit. Miſcell.* XI. Jac. Gothofred. *Commentar.*

mentar. in T. Cd. Th. de Maleſ. & Mathem. Phil. Caroli *Animadverſ. in Noct. Att. Agellii ad lib.* 2. *Cap.* 21 *lib.* 10. *Cap.* 1. & ejusdem *Animadv. in Q. Curtium l.* 7. *Anim.* 5. Jac. Gaffarell. *Curioſitat. inaudit.* parte 3. fugit itidem Fabricium libellus Gervaſii Marſtalleri Pariſ. 1549, cui titulus *Artis divinatricis, quam Aſtrologiam ſeu Judiciariam vocant, encomia & patrocinia.* Ubi Variorum de hac arte ejusque utilitate exhibentur judicia & diſputationes. Veteribus olim Chriſtianis peſſime audiiſſe Aſtrologos ſive Mathematicos, vel ex eo patet, quod in Conſtitutionibus Apoſtolicis inter alios quoque & ipſi a baptiſmo & eccleſiae communione arcerentur, obſervante Binghamo *Origin. Eccleſiaſt.* l. XI. C. 5. §. 8. & l. 16. C. 5. Adverſus Manichaeos qui ſcripſerunt reperias in Fabricii *Biblioth. Graeca*, *Vol.* 5. *p.* 289. ad quam & ipſe cit. loc. p. 403. nos ablegat.

§. II.

Et ſic externus gentium, qui ſi id fecerit, ut in eum animadvertatur. ſ. & ſi externae gentis (vel *externarum gentium*) *quis id fecerit, ut in e. an.* licet defendi quoque poſſit *externus gentium*, V. Vol. 9. *Obſ Miſc.* p. 286. Burm. *ad Quinctil. Inſtit.* 1. 4. p. 40. Sanct. *Minervae* C. 12. ſub fin.

Pergit: *& ſane non debent inpune ferre hujusmodi homines, qui ſub obtentu, & monitu Deorum, quaedam vel renunciant, vel jactant, vel ſcientes eos fingunt.* in Cod. Scal. pro *eos fingunt* legitur *confingunt*, quod recte probat Schultingius; Minuc. Fel. *Octav.* C. x: *at etiam Chriſtiani, quenam monſtra, quae portenta confingunt?* & C. 26: *de Pyrrho Ennius Apollinis Pythii reſponſa confinxit.* V. Burmann. *ad Valer. Flacc. l.* 1. *v.* 130. Similis naturae eſt verbum *confieri*, pro ſimplice *fieri*, de quo Commentat. *ad Virgil.* 4. *Aen.* 115. *Hyginum*, & alios. conf. tamen notata a Viro Ampliſſ. Jo. van

van de Water *Diſſ. inaug.* quae continet *quaſd. conjectur. ex jure Civ.* Cap. 3. p. 34.

§. III.

Gregorius libro VII. (Schult. IX.) *ſub titulo Comp. Maximus Dioclitianus & Maximianus; Nobiliſſimi AA. Juliano Proconſuli Africae.* Monſtrum iſtud *Comp.* omnino exterminandum, & e margine Cod. Scal. cum Schultingio reponendum *Imp.* i. e. *Imperatores*: at pro *Maximus* legendum *Maximi*; quod cognomentum in Inſcriptionibus & monumentis antiquis paſſim tribuitur Principibus Romanis. *Optimus Maximus* Tituli erant Jovis, Deorum Patris; eos itaque gens illa Terrarum Domina, jam adulando adſueta, Imperatoribus libenter contribuebat, quos tamquam Deos venerabatur, ſeu verebatur potius; id quod ſatis adcurate expoſuit Vir Conſultiſſ. & Amicus ſingularis G. W. Jacobſon, Daventrienſis, *in Differt. antiq. Jurid. de Veteranis*. C. 2. §. 4. ubi prolixe haec pertractantur. Adde, ſi tanti ſit, l. 17. princ. D. *de quaeſtion.* licet autem Maximianum Collegam ſuum, ſicuti & reliquos Caeſares, prae ſe contemneret Diocletianus, non tamen credibile ſit, ejus audaciam dicam, an veſaniam? eouſque proceſſiſſe, ut in publicis monimentis & reſcriptis, ſub utriuſque Auguſti nomine datis, ſibi ſoli vindicaverit ſuperbum iſtud *Maximi* adgnomentum. De titulo porro *Nobiliſſimi AA.* differentem vide Magnum Cuperum *Obſervat. lib.* 4. *Cap.* 1. Jung. l. 3. *π. de natal. reſtit.*

Pergit: *otia maxima interdum homines in communionem* (recte Pith. *communiorem*) *conditionis naturae hominum modum excedere hortantur: & quaedam genera inaniſſima ac turpiſſima doctrinae ſuperſtitionis inducere ſuadent.* l. *& quaedam gen. inan. ac turp. doctrinae ſuperſtitioſae ind. s.* ut ſenſus conſtet. Niſi

cre-

credideris, vocem *ſuperſtitionis* gloſſema eſſe τȣ *doctrinae*. Quod nec veriſimili ſuo deſtituitur.

Hi enim qui novellas & inauditas ſectas deterroribus religionibus obponunt. Pithoeus legit *deterioribus.* Malim *veterioribus.* Religiones veteriores recte obponuntur novellis ſectis & inauditis, Lactant. *de Mort. Perſecut.* C. 2. *qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romae ſed ubique cotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam damnata vetuſtate tranſire.* Sed cum haec ſcripſiſſem, incidi in Fragmenta Codicis Gregoriani, ubi Lib. 9. Tit. 4. Idem hoc Diocletiani & Maximiani Edictum repraeſentatur, notatque Cl. Schulting. in Editione Pariſ. *Collationis* 1586. jam ad marginem fuiſſe adſcriptum *veterioribus*. *Quod*, addit, *non eſt damnandum.* Pro *hi enim qui* etiam ſimpliciter legendum *hi enim nov. & inaud. s.* alioquin poſt *enim* diſtinctione minori poſita ſubaudiendum eſſet *ſunt.* Quod haud probem. Quae ſequuntur ſic conſtituenda: *Ut pro arbitrio ſuo ut pravum excludant, quae divinitus conceſſa ſunt.* Editur vulgo, *ut pro arbitrio ſuo pravum excludant.* Sine ſenſu.

Quoniam nobis, ſic jam ait porro, *de quibus ſolertia tua Serenitati noſtrae retulit, Manichaeos audivimus eos nuperrime, velut nova inopinata prodigia, in hunc mundum de Perſica adverſaria nobis gente progreſſa vel orta eſſe.* Quis tam Lynceus, ut hic ſenſum videat? nullum Hercle extrico! an legendum? *quoniam etiam novis de quibus ſolertia tua Serenitati noſtrae retulit, Manichaeos audivimus, eos nuperrime velut inop.* hoc ſenſu: quoniam etiam (novos eos i. e. novellae hujus ſectae conditores,) de quibus novis ſolertia tuae noſtrae Serenitati retulit, audivimus Manichaeos eſſe, eos nuperrime &c. ſaepe hunc in modum loquuntur veteres utriuſque linguae, inprimis JCti; exempla recenſent V. C. Perizon. *ad Sanct.*

Mi-

Minerv. l. 2. C, 9. p. 202. & van de Water *in Diſſert. inaugur.* C. 3. p. 33. 34. Polyaenus 1. *Strateg. Proöem:* Και τον ἱππον δε τον δȣρατεον τον Επειος ποιησεν συν Αθηνη, και τȣτο ϛρατηγημα Οδυσσεως ην. *Sed & equum ligneum quem Epeus fabricatus eſt cum Pallade, & hoc ſtrategema Ulyſſis erat.* Quid ſi dicamus ex compendio ſcripturae & inperitia ſimul librarii *novis* perperam exaratum fuiſſe ἀντι τȣ *nocivos?* ut primitus lectitatum ſit: *quoniam nocivos, de quibus ſol. tua Seren. n. retulit, Manich. audivimus* cet. ſenſu, quod paret, liquido ac bono.

Paullo poſt *& verendum eſt, ne forte, ut fieri adſolet, adcedenti tempore conentur execrandas conſuetudines, & iſtebas leges Perſarum innocentioris naturae homines Romana gente modeſtam atque tranquillam, & univerſum orbem noſtrum veluti venenis de ſuis malevolis infigere.* En novum & horrendum prodigium ex intima Barbaria! quis unquam de *iſtebas* in Latio vel fando audivit? certatim ergo monſtro huic expiando operam inpenderunt Viri Docti. Alii emendant *inceſtas*, alii *Thyeſteas*, alii *Aegyſtheas*, alii aliter. Ampliſſ. quoque Bynkershoek. *Diſſert.* 2. *de relig. peregr.* ex trajectu literarum legi poſſe putat *beſtias leges. Niſi*, inquit, *potius deſperandum ſit.* Sed ſalva res eſt. Notum, quod veteres *b* & *v* promiſcue uſurparint, hinc *bidit* ſcribebant pro *vidit*, *conbenit* pro *convenit*, & porro. Ita in Pandectis Florentinis habemus *vinas*, *voves*, *taverna*, pro *binas*, *boves*, *taberna*, paſſimque talia. Et quoties id in inſcriptionibus ac veteris aevi reliquiis uſu venerit, dudum monuerunt Viri Clariſſimi Reineſius, Gruterus, Cannegieter. *Diſſert. de aet. & ſtilo Aviani*, & *de Brittenburgo*, ac plurimi alii, qui antiquorum monimenta aut in unum corpus collegerunt, aut ſeparatim expoſuere, ut plura addere putidae videatur diligentiae. Unum tantum Aldhelmi locum hac occaſione integrum dabo. Is in libello,

quo

quo *laudes Virginitatis* praedicat Cap. 11. de apibus inter alia ſic refert: *& anguſta alvearii veſtibula catervatim per turmas egreſſae ambae arborum prata populantur*. Celeb. Gronovius *Obſervat. ad Scriptor. Eccleſ.* C. 4. emendat *egreſſae mane arvorum prata pop.* haud equidem male. Sed an non levior haec mutatio? *avide arborum pr. p.* ſcripſerat prior librarius *auide*. Id deinceps alius paullo feſtinantior pro *ambe*, (ſeu, ut hodie ſcribimus, *ambae*) habuit & deſcripſit. *Arborum* autem more veteri poſitum pro *arvorum*, pariter atque heic loci pro *ſcevas* exaratum fuerat *ſcebas*, quod inperitus aliquis ſciolus in *iſtebas* convertit. *c* enim & *t* facile confunduntur, *i* vero ex praecedenti *t* addita eſſe poterit, maxime, ſi, uti ſaepe fit, lineola per literam iſtam non fuerit traducta. Haud dubie itaque legendum *exſecrandas conſuetudines, & ſcaevas* (olim *ſcevas*) *leges Perſarum*. Cui ignotae infames illae Perſarum leges, de licitis parentum ac liberorum nuptiis, aliaeque ſimiles, prorſus deteſtandae? conf. Briſſon. *de Regio Perſar. Princip.* & quos non? *ſcaevum* vero proprium in his & ſimilibus verbum, V. l. 9. & 43. *Cd. Th. de Haeret.* Junc. l. 19. *Cod. Juſtin. de Epiſc: & Cler: in his enim nihil ſcaevi criminis exiſtimari foedus naturale permittit.* Sic legendum, non *ſaevi*. paſſim haec confunduntur, apud Apulej. *in Apologet.* plus ſemel, Gell. *praefat. noct. Att.* Victor. *de Caeſar.* C. 17. & infinitos alios. Reliqua, non minus depravata, haud atroci remedio ſanaveris hunc in modum: *& ſcaevas leges Perſarum, in innocentioris naturae homines, Romanam gentem modeſtam atque tranquillam.* Quae ſequuntur *veluti venenis de ſuis malevolis infigere* non movenda, ſunt enim quovis piſce ſaniora, & praepoſitio *de* apud omnis aevi ſcriptores, praeſertim tamen inferioris, paſſim ita abundat, V. Barth. & Burmann. *ad Nemeſian. ecl.* 2. ℣. XI. Jul. Firmic.

de err. prof. relig: illic cum amata ſubmerſus virgine, miſerandae matri de morte filiae funeſtum ſpectaculum praebuit. Fulgent. *expoſit. Sermon. Antiq.* voce *nefrendes ſues: ſi quis enim centum hoſtes interfeciſſet, Marti de homine ſacrificabat apud inſulam Lemnum.* Sic Tertullianus, alii, confer Muncker. *ad Fulgentii Mythologicon, lib.* 1. *Cap.* 24. ubi hunc ipſum locum excitat. Ceterum, aut ego fallor, aut ad haec Imperatorum verba reſpexit Euſebius lib. 7. *Hiſtor. Eccleſ.* Cap. 31. ubi de primo Manichaeorum auctore δογματα γε μην ψευδη και αθεα εκ μυριων των προπαλαι απεσβηκυιων αἱρεσεων συμπεφορημενα κατῖυσας, εκ των Περσων επι την καθ' ἡμας οικεμενην ὡσπερ τινα θανατηφορον ιον εξωμορξατο. de Manichaeorum porro Principe, Manete, Origine, & praecipuis eorum Dogmatibus, praeter eos qui peculiaribus libris *Hiſtoriam Manichaeorum* conſcripſerunt, inſpicere poteſt, cui otium fuerit, Murator. To. 2. *Anecdot.* Burtoni *Veteris ling. Perſ.* λειψανα pag. 84. & Jacob. Tollium *in inſign. Itinerar. Ital.* ibique *in notis ad Formul. recept. Manich.* p. 126. & ſeqq ex qua eadem formula p. 149. adparet, Manichaeos non temperaſſe ab illicito concubitu ſororis, ſocrus, nuruſque, ut recte adeoque ſcribant Imperatores, ſcaevis eos Perſarum legibus Romanum orbem inficere; apud Perſas enim conjunctiones iſtae potiſſimum habebantur licitae, ut ex innumeris conſtat, & jam ſupra e Briſſonio adtigimus. Nunc cum Auctore noſtro pergimus.

Et quia omnia quae pandit prudentia tua in relationem (Schult. *in relatione*, ſed V. ad Tit. 4. §. 2.) *religionis illorum genera maleficiorum ſtatutis evidentiſſimorum exquiſita & adinventa commenta, ideo eorum moenas atque poenas debitas & condignas illis ſtatuimus.* Locus peſſime corruptus! & quem tamen Interpretes neglexerunt; nec ipſa, ut verum fatear, mea

mea mihi ridet conjectura. propoſuiſſe tamen quid obfecerit? Sic tentabam: *Et quia omnia quae pandit prudentia tua in relationem religionis illorum, genera maleficiorum evidentiſſimorum ſatis exquiſita & adinventa commenta.* Senſus eſt: & quia omnia genera evidentiſſimorum maleficiorum, quae pandit prudentia tua, in relatione religionis eorum, (quam ad nos transmiſiſti,), ſatis exquiſita, & commenta illorum abunde adinventa ſunt. An melius? *genera maleficiorum ſatis evidentiſſimorum exquiſita & adinv. comm.* Nam & ſic ſaepe veteres, l. 2. §. 46. *de Orig. Jur: exſtat ejus oratio ſatis pulcerrima, quae inſcribitur pro Quinto Ligario.* Ubi plura Bynkersh. *in Praeterm. ad l.* 2. *de Orig. Jur.* p. 83. Reliqua ſic conſtituo: *ideo non Romanas, at poenas debitas & condignas illis ſtatuimus.* Romani, inter alia gentis ornamenta, gloriabantur de manſuetudine legum ſuarum, Liv. *lib.* I. *C.* 29: *primum ultimumque illud ſubplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit; in aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuiſſe poenas.* Dicunt itaque Imperatores, ſe ob atrocitatem horum maleficiorum hominibus illis ſtatuere poenas graviores, & a manſuetudine Romana alienas, ſed debitas, tantiſque ſceleribus condignas. Pro *non* ſcriptum fuerat *ō*, cum autem praeceſſiſſet *ideo*, ex vocis illius ultima ſyllaba factum *eo*, pro *Romanas* vero ab inperito aliquo facile effingi potuit *rummoenas*, ſi obſcurius notatum eſſet. Sed haec conjectura eſto.

TIT. XVI. §. II.

Quae in hoc Paragrapho, aut obſcuriora, aut corrupta, alicui moram injicere poſſent, dudum explicita, & feliciter ſatis emendata ſunt a Commentatoribus *ad Caji Inſtitut. Lib.* 2. *Tit.* 8. quorum ſcrinia non conpilo.

§. III.

Quem filius emancipatus ſuſcepit, vel adoptavit, ſui heredis locum obtinere non poteſt. Adoptivus tamen ne quaſi cognatus bonorum poſſeſſionem ejus potiri poteſt. pro *ne* Schultingius legendum cenſet *nec.* Sed *ne* hic idem atque *ne quidem*, ut aliis ſaepe, V. Cl. Burmann. *ad Petron.* C. 9. & Duker. *ad Flor.* l. 3. C. 17. Exiſtimat porro V. C. verba haec *adoptivus tamen* &c. cum praecedentibus plane non cohaerere, & aliqua excidiſſe. Forte Viro Egregio iſtud *tamen* fraudi fuit. At quod heic redundat, ut plurimum, Vid. M. Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano.* Acidal. *ad Vellej.* 2. 40. 5. ne alios nunc excitem. Reliqua hujus §phi jam excuſſa ſunt a Commentatoribus, praecipue autem laudatiſſimo Schultingio *ad Pauli Sentent. lib.* 4. *Tit.* 8.

§. VIII.

Ceterum ſi libertinus eſt, vel libertina, ad patronum ejus legitima hereditas patronamve lege duodecim Tabularum refertur. Schulting. adnotat *forte defertur.* Sed retinendum *refertur*, quod elegantius. Antea enim libertini vel libertinae, cum adhuc in ſervitute eſſent, omnia patroni patronaeve erant, & quod jam facultatem poſſidendi aliquid haberent, id patronis debebant unice. Iis itaque recte dicuntur referri liberti aut libertae bona, a quibus primitus data & accepta fuerant.

O B-

OBSERVATIONES
MISCELLANEAE.

OBSERVATIONES MISCELLANEAE.

CAPUT I.

Circumciſio Aegyptiorum ejusdem cum Phallophoriis originis. Non adeo derivanda ab Iſraelitarum in Aegypto ſervitute. Figmenti de capite aſini a Judaeis divinis honoribus culto auctores Aegyptii. Circumciſio Aegyptiorum an a Salomone derivanda? Morini opinio refellitur. Soli Aegyptiorum Sacerdotes & Myſtae circumciſi, non alii. Locus e libro Joſuae explicitus. Item Herodoti. Plurima a non paucis de Aegyptiis in genere relata, quae ab aliis de ſolis Sacerdotibus. Plutarchi in libello de Iſide & Oſ. quis ſcopus? nova conjectura de circumciſione Aegyptia proponitur.

Memini in Obſervatis ad Antonii Carmen *adverſus gentes* leviter conjecturam proponere de Circumciſione Aegyptiaca, quam cum Phallophoriis ejusdem credebam originis; deſeruique adeo recep-

tam pene opinionem eorum, qui ab Iſraelitis ritum hunc ad Aegyptios deducunt, & liberum populum a ſervili ſacra ſua furatum inprudenter adfirmant, aut nugantur potius. id quod prudentioribus puto facile perſuaſerim. Quis enim paullo oculatior non viderit, quam abſurdum ſit dicere, Judaeos, dum in Aegypto advenae conmorantur, per tempus tamen haud adeo longum, novi hujusmodi ritus auctores Aegyptiis exſtitiſſe, a quibus antea propter publicam abominationem, paſtores quidpe, in ſeparata prorſus loca, & ſemotum plane a reliquis terrae tractum tranſlati fuerant? nemo id crediderit, cui vel minima cordis particula, aut ſani cerebri. Sed eſto. An retinuerit tale quid Rex ille, ſub quo ex Aegypto exceſſerunt Iſraelitae, tantopere eosdem exoſus? inviſaene adeo gentis religionem ſummo ſtudio obſervare perrexerit? Quin quantocius ſuſtuliſſe quivis humanior mecum dixerit. At non videntur Aegyptii tam faciles fuiſſe in recipiendo, ex advenarum certe cultu, circumciſionis jugo, moleſto ſatis & aſpero, a peregrinorum quidpe conſortio ac ſacris quam maxime alieni, ſic ut cum Hebraeis veſci nefas ipſis fuerit, Joſepho licet Hebraeo Aegypti praeſide, *Geneſ.* 43. multo ergo minus, cum deinceps adfligerentur, & Joſephi beneficia dudum exoleviſſent. Poſt Judaeorum porro exceſſum, odium Aegyptiis in dies auctum altumque: paſſim in Hiſtoriis ſuis calumniabantur Judaeos, atque omni injuriarum ac conviciorum genere notare adnitebantur, & aliis inviſos reddere, V. Origin. I. *contra Celſ.* ſect. I. 2. primoſque adeo Aegyptios auctores exiſtimem turpiſſimae fabulae, quaſi Judaei in templi penetrali caput aſini divinis honoribus adficerent; quo ex eodem fonte derivandum puto, quod Typhonem *aſino* vectum dixerint, per *ſeptem dies* fugiſſe, & cum evaſiſſet, *Hieroſolymum* & *Judaeum* genuiſſe, V. Plutarch. in li-

libello *de Iſide & Oſir.* Sane etiam de Iſraelitis referebat Apion, (haud dubie, uti pleraque alia, edoctus a ſenioribus Aegyptiis,) eos, quum, ex Aegypto profugi, ſex dierum ſpatio in Judaeam veniſſent, ſeptima demum quieviſſe, & inde Sabbatum conſecraſſe, Joſeph. lib. 2. *contra Apion.* ſect. 2. ut fruſtra de Origine hujus figmenti ab Aegyptiis derivanda dubitet, Vir alioquin longe doctiſſimus, Hadr. Relandus *de Numm. Samarit.* Diſſert. 2. p. 40. At in his nunc non moror. de commento iſto ſi quis plura deſideret, adeat Thyſii *Exercit. Miſc.* 9. Morini Diſſ. *de calumn. gentil. caput aſinin. eſſe Chriſtian. Deum.* Commentator. *ad Minucii Octavium.* Le Moyne *Diſſ. Theolog. ad locum Jerem.* 23. 6. Cap. 2. & Cap. 4. multoſque alios. de Circumciſione Aegyptiorum pariter egerunt plurimi, at diligentiſſime omnium admirandae eruditionis Viri ambo Spencer. *de leg. ritual. Hebraeor.* lib. 1. ſect. 4. Marsham. *in Can. Chron.* ad ſec. 5. & 9. Atque ita hoc quidem labore defuncti videremur, niſi occurreret nobis fertile laudati modo Morini ingenium, qui Diſſert. 2. *de Cognat. Lacedaem. & Hebr.* p. 78. 79. circumciſionis apud Aegyptios originem derivandam conjiciebat a tempore Salomonis, quod hic lib. 1. *Reg.* Cap. XI. princ. inter plures peregrinas feminas Pharaonis etiam Aegypti Regis filiam in matrimonium adſciviſſe legatur; jam autem plane videatur probabile, Salomonem, vero adhuc Dei cultui adhaerentem, noluiſſe ſibi ex Aegyptiis, gente incircumciſa, uxorem ſumere, niſi & ipſi prius circumciderentur. At quodnam tamdem idoneum producetur argumentum, quo, non ante Salomonis tempora circumciſionem Aegyptiis innotuiſſe, evinci poſſit? quum antiqua adeo populi illius ſit ſuperſtitio, nec Salomonis tantum, ſed & Joſephi aetatem longe exceſſerit. Et quis credat S. Scriptorem rem tam memorabilem

omittere voluiſſe? qua & Judaeorum poſteri non parum certiores fuiſſent redditi, Aegyptios a ſua gente circumcidendi originem mutuatos fuiſſe, non contra ſe ab illis, quaque deinceps, adverſus calumniatores, & religionis Judaicae oſores, paratam habuiſſent reſponſionem. Sed nec Salomonem inpellere potuit, quo hoc expoſtularet, exemplum filiorum Jacobi, quod refertur *Geneſ.* 34. ℣. 13. & ſeqq. nam quae ibi dictitabant, ſororem ſibi Sichemo, Hemoris filio, uxorem dare, & cum gente ejus connubia inire nefas eſſe, quod praeputia haberent, adeoque prius ipſos omneſque Sichemitas eſſe circumcidendos, id, inquam, non faciebant divini cultus, aut pietatis ergo, ſed ut, ſub falſo religionis praetextu, inſidias miſeris hominibus ſtruerent, & injuriam ſorori illatam, data occaſione, nefarie ulciſci poſſent. Nec legitur Jacobus ipſe, tantae Vir probitatis, id flagitaſſe, aut probaſſe. At fecerunt filii ejus, in hoc certe inpii, ignaro procul dubio optimo patre, ut cetera, quae deinceps patrata fuerunt. Sed & hic non de matrimonio tantum Hemoris & Dinae, at de connubii jure cum tota gente ſociando agebatur, ideoque omnes circumcidi oportebat. Praeter hoc, Dina in peregrini mariti poteſtatem tranſitura, eadem haud dubie ſacra conplexa fuiſſet; ejusmodi itaque cautione opus erat. Adde, quod Divinus Auctor tamquam vitium notet in Salomone, quod ipſe cum exteris mulieribus tori conſortium inierit, a quibus Iſraelitas ut abſtinerent monuerat Deus, V. *Exod.* 34 & *Deuteron.* 7. adeoque jam tum a priſtina pietate haud parum deflexiſſe Rex videtur, ut ita veriſimile non ſit, ipſum hanc ob cauſſam ex gente incircumciſa uxorem noluiſſe. Quin, ſi jam concedamus, hac occaſione circumciſionem apud Aegyptios uſum inveniſſe; quis nobis auctor fuerit, perpetuo eam ſubſtitiſſe, nec deinceps a ſequentibus Regibus abolitam? maxime, cum Salomonem

lomonem inter & Seſacum, Aegypti Regem, (ſucceſſorem, ut puto, ejus, cujus Salomo filiam duxerat,) ſimultates videantur interceſſiſſe, ut, qui Jerobeamum, fugitivum, & capitalem Salomonis hoſtem, in regnum ſuum recepit, 1 *Reg.* XI. 40. mox etiam contra filium ejus Rehabeamum expeditionem ingreſſus eſt, 1 *Reg.* 14. 2. *Chronic.* 12. Et cur non eodem jure, at forſan majori, dici poſſet, ab Iſmaele ejuſque poſteris Aegyptios circumcidendi conſuetudinem adſumſiſſe? ut, qui patre quidem Hebraeo natus, matrem tamen habebat Aegyptiam Hagarem, & ipſe non ſolum circumciſus, ſed & uxorem Aegyptiam duxiſſe memoratur *Geneſ.* 17. ℣. 23. & 21. ℣. 21. At nec id ſiluiſſe Moyſem credibile eſt, qui talia haud praeterire ſolet. Ne alia nunc addam. Denique, ſi a Salomone, & hoc ejus facto, ut Morinus putat, circumciſionem haberent Aegyptii, toti eorum genti, aeque ut Hebraeis, recepta eſſe debuiſſet. Non poſſum vero ego quidem adjicere calculum vulgatae opinioni, ac ſi apud omnes promiſcue Aegyptios circumciſio fuerit uſitata, & cunctis ſine diſcrimine propria. Contra videtur ritus iſte ad ſolos Sacerdotes eorum reſtringendus. Idque mihi contendere poſſe perſuadeo ex plurimis Veterum teſtimoniis. Philo certe Judaeus, in peculiari libello, quum exponeret varias cauſſas receptae circumciſionis apud quasdam gentes, maxime autem Aegyptiam, inter plures alias & hanc refert, ut corpus purius foret, & ad Sacerdotalia officia aptius, ideoque addit, radere etiam corpora Aegyptiorum ſacrificos, ne quid ſordium vel ſub *pilis* vel *praeputiis* haereat, quod officere poſſit puritati ſacris debitae. Ad radendi conſuetudinem pertinent *pili*, ad circumcidendi morem *praeputia*. Utrumque autem tribuit Sacerdotibus, eoſque id ait feciſſe munditiei & ſacrorum cauſſa. In vulgo vero ratio haec ceſſabat, adeoque nec ibi circumciſionem obti-

obtinuiſſe merito concludimus, ex vulgatiſſima Logicorum regula, *ceſſante cauſſa, ceſſat effectus.* Eodem pertinet, quod Clemens Alexandrinus, & cum eo alii, refert de Pythagora lib. 1. *Stromat.* p. m. 302. eum, ut cum Aegyptiis Sacerdotibus poſſet congredi, & myſticam ſacrorum doctrinam intelligere, per eoſdem Sacerdotes circumciſum fuiſſe, δι ὃς inquit και περιετεμετο, ἱνα δη και εις τα αδυτα κατελθων, την μυστικην παρ᾽ Αιγυπτιων εκμαθοι φιλοσοφιαν. *Propter quos etiam (Aegyptiorum Prophetas) circumciſus fuit, ut adyta ingrediens, Aegyptiorum myſticam diſceret Philoſophiam.* At quid hujuſmodi auxilia circumſpicimus? quum aperte nobis faveat Horapollo lib. 1. *de Hieroglyph.* Cap. 14: γενναται τε inquit de Cynocephalo περιτετμημενος, ἡν και οἱ ἱερεις επιτηδευουσι περιτομην. Origines quoque *Homil. 5. in Jeremiam* p. 159. To. 3. oper. των Αιγυπτιων ειδωλοις οἱ ἱερεις περιτεμνονται, αλλ᾽ εκεινη περιτομη ειδωλοις περιτομη εστι, και ουκ εστι τω θεω γινομενη περιτομη. *Aegyptiorum idolis Sacerdotes circumciduntur, ſed iſta circumciſio idolis circumciſio eſt, & minime fit Deo.* ejusdem alium & egregium prorſus hanc in rem locum lib. 2. *in epiſt. ad Rom.* jam excitavit Huetius, quem & memorata Horapollinis verba adduxiſſe nunc demum video. Porro diſerte nobiſcum facit Epiphanius *haereſi* 30, adductus quoque Spencero lib. 1. ſect. 4. p. 59. Alii vero Scriptores generalius loquentes vulgari errori anſam dederunt; quorum adeo loca omnia de ſolis Sacerdotibus ſunt intelligenda. Immo, licet forte aliqui illorum omnium Aegyptiorum communem putaverint circumciſionem, nihil tamen id nos turbaverit. Quam parum namque in religione Aegyptiorum eorumque ritibus tradendis ſibi conſtiterint veteres, nemo neſcit, & vel ex ſolo Plutarchi libro *de Iſ. & Oſir.* quem ſupra citabamus, conſtat uberrime. Nec id profecto mirum. Fugiebant Aegyptii antiquiores peregrinos:

grinos: eos a ſacris ſuis arcebant: Porphyrius lib. 4. *de Abſtin. Animal.* ſect. 8. ex Chaeremone Stoico refert, quod Aegyptiorum olim Sacerdotes pro re inprobiſſima habuerint, ex Aegypto nauigare, *διευλαβουμενοι ξενικας τρυφας και επιτηδευματα*: Pythagorae, uti modo vidimus, Myſteriis eorum niſi circumciſo intereſſe haud licuit: Theologiam ſuam non ſcriptis aut literarum monimentis ad poſteros propagabant, ſed hieroglyphicis & obſcuris quibusdam notis, quarum rude vulgus plane erat expers & inſcium, V. Thom. Burnet. lib. 1. *Archaeol. Philoſoph.* Cap. 8. Jo. Bapt. Porta *de furtivis literarum notis.* Crenius in *Analectis Philologicis*, ad Holmii *Diſſ. de Scriptura* Cap. 2. praeter Kircherum, & innumeros. Sic puto jam explicabimus, & commode omnino, quae in libro *Joſuae* C. 5. ℣. 9. legitur Deus, quando Iſraelitae a Joſua eſſent circumciſi, dixiſſe, *eo ſe die Aegyptiorum obprobrium ab iis abſtuliſſe.* Non quod, uti explicat doctiſſ. Marham. *ad ſec.* 5. p. m. 73. Aegyptiis obprobrio eſſent incircumciſi; quid enim id ad Judaeos? eorum parum intererat, an ipſi obprobrio eſſent Aegyptiis, nec ne, quibus in tot aliis fuerant. Ita ex. gr. Paſtores Aegyptiis quam maximae erant abominationi, V. tantum *Geneſ.* 46. ſed parum hoc Judaei curarunt, & merito. Talia plura videri poſſent in Deylingii Diſſ. *de fletu ſuper Thamuz.* at quis dubitet? Deus dicitur removiſſe obprobrium Aegypti ab Iſraelitis, quod ipſi jam eſſent circumciſi, ſecus atque Aegyptiis mos erat, apud quos vulgus non circumcidebatur, & peculiare id Sacerdotum erat. Ex hiſce nunc porro intelligimus, quo ſenſu inter gentes circumciſas Aegyptii referantur a vate Jeremia Cap. 9. ℣. 25. 26.

Neque adduci mihi in contrarium hic velim Herodotum, qui eo argumento lib. 2. ſect. 104. Colchorum origines ab Aegyptiis repeti poſſe cenſet, quod apud eos

aeque

aeque circumciſio fuerit uſitata. Primo enim, potuit errare Herodotus, toti tribuendo genti, quod ſolis ſacrificulis conpetebat. Sed nec hoc urgueo. Quin & adfirmem licet, Herodotum hic vera dixiſſe, & omnia optima fide expoſuiſſe. Quid inde? ſi namque Aegyptiorum Sacerdotes circumciderentur, nonne revera apud Aegyptios dici poterat invaluiſſe circumciſio? quid inpedit? nihil opinor. Quam multa ſunt, quae Hiſtorici in referendis populi alicujus moribus, populo tribuant, quum certo in eo ordini ſint propria. Nonne ritus, qui apud nos, verbi gratia, in ſacris obtinent, reapſe noſtrae gentis ſunt, & tanquam noſtri referri poſſunt? quam enim inſignem Sacra & quae ad ea pertinent reipublicae portionem conſtituunt!

Haec omnia eo reddentur probabiliora, ſi obſervemus, plurima a Scriptoribus generaliter Aegyptiis fuiſſe adtributa, quae alii de Sacerdotibus unice retulerunt. Cujusmodi exempla in promtu. Sic de Aegyptiis ſine diſcrimine adfirmant plerique, eos *porcinis carnibus* abſtinuiſſe. Joſephus autem lib. 2. *contra Apion.* Sect. 13. de ſolis id Sacerdotibus prodit, ipſamque etiam circumciſionem ad eosdem liquidiſſime reſtringit. En tibi, ſi lubet, ipſa verba: και μην ειτις αυτον ηρετο, των παντων Αιγυπτιων τινας ειναι και σοφωτατȣς και θεοσεβεις νομιζει, παντως αν ὡμολογησε τȣς ἱερεις. δυο γαρ αυτȣς φασιν ὑπο τῶν Βασιλεων εξ αρχης ταυτα προσεταχθαι, την τε των θεων θεραπειαν, και της σοφιας την επιμελειαν. εκεινοι τοινυν ἁπαντες και περιτεμνονται, και χορειων απεχονται βρωματων. Sic ille. Quis autem nobis Joſephum, contra Aegyptium ſcribentem, in rebus gentis ejus negligenter adeo fuiſſe verſatum, ut ſe tam turpiter dederet, unquam perſuaſerit? Neque aliter Chaeremon Stoicus apud Porphyr. περι αποχης εμψυχων lib. 4. §. 7. aut Plutarchus in ſaepius adlegato *de Iſide & Oſiride* libello. Quae enim ibi de abſtinentia a carne ſuilla, caepis, aliaque tradit, de ſacrorum tantum gentis Aegyptiae

Mi-

Miniſtris, non de omnibus communiter intelligenda puto, ſecus atque vulgo fieri adſolet. Quidpe ea tantum Plutarcho mens fuit, ut ex arcanis ſacrorum ritibus originem divini cultus Iſidis & Oſiridis detegeret ac demonſtraret, eaque occaſione in ſacra Aegyptiorum eorumque ceremonias diligenter inquirit. Series quoque totius libelli non aliud nobis indicat. Inſpiciat Lector ſapiens a capite ad calcem, & aut mihi adſentietur, aut ego in perpetuum fallax ero. Sed & clariſſime Horapollo *de Hieroglyphicis* plus ſemel l. 1. C. 14. & C. 44. ſolis adſcribit Sacerdotibus, quod piſcibus abſtineant. Id vero multos de tota gente retuliſſe novimus.

Et haec ita quidem ex iis, quae nobis produnt veteris aevi monimenta, ſatis forte probabiliter poſſunt differi. Nullus tamen negaverim, ubi adtenderis ad remotiora tempora, plurimis omnino Aegyptiis, praeter hierophantas, (non tamen cunctis ſine diſcrimine,) circumciſionem fuiſſe uſitatam, &, quod credibile, ex cauſſa Phyſica. Nimirum, in Oriente apud pleraſque gentes, inprimis Aegyptiam, properata connubiorum vota, nec ſera juvenum Venus. Quae proinde difficilior. Hanc igitur ut concinniorem redderent, pueris recens natis pelliculam circumcidiſſe haud abſurde quis dixerit, & hoc modo capienda eſſe Scriptorum loca, ubi receptae apud Aegyptios circumciſionis rationem referunt foecunditatis curam, ſic ut legitimam cauſſam aut non penitus intellexiſſe, aut certe diſſimulaſſe videantur. Potuit deinceps apud reliquos paulatim ritus iſte in deſuetudinem abiiſſe, ſolis Sacerdotibus retentus, puritatis & munditiei ergo, accedentibus cauſſis etiam aliis. Neque id mirum alicui obvenerit; quum Judaei, qui tamen diſertum habuerant Dei mandatum, per tempus quadraginta annorum, quo morati ſunt in deſertis, plane neglexerint circumciſionem, tamdem a Joſua divino juſſu inſtaura-

tam

tam, V. libri *Joſuae* Cap. 5. Conjectura haec, poſtquam priora dudum abſolveram, demum mihi nata eſt, quam tamen nemini vehementer obtruſerim. Plura nunc nobis eſſent expendenda. At omnia repetere non eſt hujus loci, & res integram mereretur Diſſertationem, quam ne pro Obſervatis hic ſcribere videar, ad alia propero.

CAPUT II.

Cur tandem Iſraelitae poſt exceſſum ex Aegypto profano Deorum cultui adeo ſtuduerint?

Fuit aliquo abhinc tempore, quum ſtudioſius inquirerem, qui tandem factum fuerit, ut Iſraelitae, tot tantiſque beneficiis a Deo ornati, & praeſentem Numinis majeſtatem toties, non ſine horrore, experti, adeo in pejus ruere potuerint, & ad nefandos Aegyptiorum ritus, poſt abjuratum olim gentis ejus jugum, quaſi poſtliminio reverti? neque enim durum adeo Judaeorum, prae aliis, genus, & in profanos Idolorum ritus pronum fuiſſe crediderim, qui ſaepe meliora didicerant, & heu nimium! ſenſerant. Dum itaque haec agito, tale quid mihi ſe obtulit: originem cultus Idololatrici inter Iſraelitas, & cauſſam, quare aegre adeo ab Aegyptiorum ſacris receſſerint, derivandam eſſe praecipue ex mixto hominum genere, quod una cum ipſis ex Aegypto exceſſiſſe memoratur, in libro *Exodi* Cap. 12. ℣. 38. quo & pertinent Strabonis verba lib. 16. *Geograph.* p. 1103. ed. no. quando ait, Galilaeam, Hiericuntem, & Philadelphiam ac Samariam magna ex parte a mixtis gentibus habitatas: cumque mixti hi ſint homines, famam, cui plurima de origine templi Hieroſolymorum fides, adſerere, Aegyptios auctores fuiſſe eorum,

tum, qui nunc Judaei audiunt. Hos autem non tam religionis, quam voluptatum ſuarum ergo Moyſem ſectatos fuiſſe credibile eſt, forte turpiſſimos omnium nebulones, quibus, ob vitae luxuriem, & conſumtas opes, in patria ex animi ſententia vivere non dabatur. Hi itaque homines novarum rerum, ut ſolent, cupidi, ſub religionis ſpecie adjunxerant ſe Judaeis; at deinceps ad ingenium reverſi, inmanes paſſim turbas dediſſe, Iſraelitas in ducem optime meritum concitaſſe, & ad perverſam Aegyptiorum ſuperſtitionem prae doctrina Moſaica amplectendam, nefarii auctores fuiſſe videntur. Sed ut ſuperioris Capitis prolixitatem hujus quodammodo brevitate conpenſemus, ulterius haec nunc quidem non exponimus.

CAPUT III.

Paulus ad Epheſios 4. 22. quorſum reſpexerit. Manumiſſus novus & alius homo. Proſelyti Judaeorum novi homines. Item Pythagorae myſteriis initiati.

Sanctus Paulus in Epiſtola ſua Cap. 4. ℣. 22. & ſeqq. ita fideles Epheſios admonet αποθεσθαι υμας, κατα την προτεραν αναστροφην, τον παλαιον ανθρωπον, τον φθειρομενον κατα τας επιθυμιας της απατης. ανανεουσθαι δε τω πνευματι του νοος υμων, και ενδυσασθαι τον καινον ανθρωπον, τον κατα θεον κτισθεντα εν δικαιοσυνη και ὁσιοτητι της αληθειας. Ajo S. Apoſtolum his verbis reſpicere ad manumiſſos veterum, & jus Civile Romanorum. Servus enim, ubi e ſervitute erat dimiſſus, *novus* & *alius* homo fieri dicebatur, adeoque priorem ſeu *veterem* hominem quaſi exſuiſſe, & novam perſonam induiſſe videbatur. Loca proſtant in jure noſtro,

ſtro, dudum notata iis, qui de Significatione Verborum ad jus pertinentium commentati; & vel ſola ſervorum apud Romanos conditio id evidenter evicerit, at quae neminem latet. Saepius autem Sacris in Literis peccatis operantes, ſervis, contra ab iisdem abſtinentes, & ſe ac fidem ſuam Chriſto addicentes, liberis conponuntur. Utrumque habes in *Johann. Euang.* Cap 8. ℣. 32. ſeqq. Epiſt. 2 *Petri* Cap. 2. ℣. 19. & paſſim. ὁ μεν γαρ το σωμα λελυμενος, την δε ψυχην δεδεμενος, δȣλος, ὁ δ' αυ το σομα δεδεμενος, την δε ψυχην λελυμενος, ελευθερος. *Qui namque corpore quidem liber eſt, anima vero vinctus, ſervus eſt. Rurſus qui corpore nexus, anima vero ſolutus, liber eſt:* Aurea ſunt Epicteti, gentilis Philoſophi, verba, apud Stobaeum *Serm.* 1. p. m. 6. eodem pertinent Bionis illa in ejusdem *Serm.* 2. p. m. 32: αγατοι οικεται, ελευθεροι, ὁι δε πονηροι ελευθεροι, δȣλοι πολλων επιθυμιων. *Boni ſervi, liberi ſunt, mali vero liberi, ſervi multarum cupiditatum exſiſtunt.* Et ſic centies alii. Nam pleni hujusmodi ſententiis omnium Philoſophorum libri. Non poſſe vero hic per καινον ανθρωπον Chriſtum intelligi, ſatis patet ex verbo quod addit κτισθεντα, *creatum*, & Ep. *ad Coloſſ.* C. 3. ℣. 10: και ενδυσαμενοι τον νεον (ανθρωπον) τον ανακαινȣμενον εις επιγνωσιν κατ' εικονα τȣ κτισαντος αυτον. *Induti novum (hominem,) renovatum in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Quae omnia in Chriſtum convenire nemo credo dixerit. De verbi autem ενδυειν & *induere* ſignificatu notavit quaedam Cl. Arntzen. *ad Plin. Paneg.* Cap. 81.

Haec dudum ſcripſeram, quum alia, & probabilior puto, conjectura incidit: Paulum forte locutiones iſtas mutuatum fuiſſe a Proſelytis Judaeorum, illi enim e gentilibus converſi, plane novi homines habebantur, & velut infantes recens nati, ſic ut & nomen mutarent, nec iidem ipſis conſanguinei cenſerentur: *Proſelytus*

nempe,

nempe,velut jam primo creatus, aut e coelo lapſus, omnino novus homo fiebat, conſanguinitate priſtina non minus, ac gentiliſmo exutus. Unde nec ex jure ſanguinis priſtini ei ſuccedere quis potuit, ſunt Joannis Seldeni verba lib. 2. *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſcipl. Ebraeor.* Cap. 4. p. 158. ubi latius haec exſequitur, & ex eo Anton. van Dale *in Hiſtoria Baptiſmorum.* Simile obtinuit in diſciplina Pythagoreorum, quorum myſteriis initiati regenerati dicebantur, & novam prorſus vitam adepti, ejectis autem poſtea, velut mortuis, funus ducebant, ſollemni ritu monimento ipſis erecto, V. *Jamblich. in Vita Pythag.* C. 17. quibus cum confer, ſi lubet, quae gemina fere de Eſſaeis prodit Joſeph. *belli Jud.* l. 2. C. 8. ſect. 7. 8. Hi namque mere Pythagorei, Vid. eumdem Joſeph. l. 15. *Antiq. Jud.* C. x. ſect. 4. & qui ſcripſerunt *de Sectis Judaeorum.*

CAPUT IV.

Oracula cur olim verſibus reddita. Ligata oratione res ſublimiores antiquitus tradi ſolitae. Oracula unde adeo perplexa. Oraculorum origo, progreſſus, finis.

Exiſtimant vulgo, & exiſtimavit etiam, quod miror, V. Cl. Ant. van Dale Diſſ. *de Oraculor. Orig.* C. 7. §. 20. Oraculorum reſponſa antiquitus carminibus reddita fuiſſe, ut eo commodius ambiguitatem in verbis callidi Sacerdotes obtinerent, & faciliori ita negotio rudi plebeculae inponerent. At minus, ut puto, recte. Etenim v. gr. tritum illud, *ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe*, aeque ambigue in ſoluta, ut in ligata oratione, potuiſſet exprimi. Atque ita cetera. Legitima ratio, ni fallar, haec: quod

olim omnia, quae ad Divinos cultus pertinerent, verbis numeris ſuis adſtrictis explicari ſolerent; ea enim audientium animis majorem venerationem Numinis, & ſacram velut admirationem conciliare videbantur. Hinc antiquiſſimos Sacrorum antiſtites, Orpheum, Linum, Muſaeum, alioſque, vates fuiſſe legimus, & ſententias ſuas deque Divinis opiniones verſibus expoſuiſſe, quae proinde *Carmina* dictae, V. notata a Viris Doctis *ad Caton.* 1. *Diſt.* 1. Et ſane ars Poetica ea eſt, quae mentibus, miram non ſolum ſuavitatem, ſed & neſcio quid Divini inſinuet, ad ſublimiora quaſi natura ſua tendere videatur, & adfectibus hominum flectendis conducat maxime. Unde *Poetarum* nomen. Non, uti vulgus putat, a fictionibus ac mendaci quadam garrulitate deductum? ſed a fingendis hominum animis, & formandis rudium moribus, tamquam

Fingit equum tenera docilem cervice Magiſter
Ire viam, quam monſtret eques. Ut ait Horat. 1. *Epiſt.* 2. At nec perplexam illam enunciandi Oracula conſuetudinem ab inpoſtura primitus derivandam credo; quin potius a more veteri, quo obſcure ac perplexe admodum res Divinae & Numen colendi ratio inperitae multitudini tradi ſolebant; idque prudenter, ne, ubi omnia uno velut intuitu vulgo oſtentarent, ea ignara plebs in abuſum verteret, & tamdem religio in abſurdas quaſvis opiniones degeneraret, V. Eſchenbach. *Epigen. de Poeſi Orph.* Burnet, *in Archaeol. Philoſoph.* alioſque conplures. Id autem, quod de Oraculis diximus, egregie adſtruunt verba Clementis Alex. l. 4. *Stromat.* p. m. 556: Παντες ουν, ὡς επος ειπειν, ὁι θεολογησαντες, βαρβαροι τε και Ελληνες, τας μεν αρχας των πραγματων απεκρυψαντο. την δε αληθειαν αινιγμασι και συμβολοις, αλληγοριαις τε αυ και μεταφοραις, και τοιουτοισι τισι τροποις παραδεδωκασιν. ὁποια και παρ᾽ Ελλησι τα μαντεια. και ὁγε Απολλων ὁ

Πυ-

Πυθιος, λοξιας λεγεται. Quae dudum ſic verſa: *Omnes ergo, ut ſemel dicam, qui de rebus Divinis tractarunt, tam barbari, quam Graeci, rerum quidem principia occultaverunt: veritatem autem aenigmatibus, ſignisque ac ſymbolis, & allegoriis rurſus & metaphoris, & quibusdam talibus tropis modisque tradiderunt. Cujusmodi ſunt etiam apud Graecos oracula. Et Apollo quidem Pythius dicitur* λοξιας, *id eſt, obliquus.* Non adeo eos hic ſequor, qui Oraculorum originem inmediate a Diabolo arceſſunt, & inmundi Spiritus artificium arbitrantur. Vel ipſa Latinorum denominatio indicat, *Oracula* olim fuiſſe loca Divinis uſibus deſtinata, ad quae ſubplicantes adcedebant, ubi *orabant*, & Sacrorum praeſules de cultu Numinis conſulturi adibant, qui ipſos quid faciundum admonebant, deque vitae neceſſariis inſtruebant; iſtud enim priſcis temporibus Sacerdotum munus, teſtante Porphyrio l. 2. περι απ. εμψ. Hinc qui Sacris praeerant, *Vates* & *Prophetae* dicti. Non a futuris revelandis. Sed quod dicerent & docerent, quae ad vitam rite inſtituendam pertinebant, utque Deum coli oporteret, aliisque quaſi praeirent. Nos *Profeſſores* diceremus. Poſtea vero, creſcente Sacerdotum ambitione, & vulgi, uti adſolet, ſuperſtitione, reſponſa haec pro Divinis venditata: cumque miſelli homines raro ſine dono aliquo loca haec adirent, ut in externis prodiga eſſe ſolet ſuperſtitionis amentia, hinc callidis veteratoribus animus ad fraudes additus, & ſacra auri fame in deteriora rapti, inperitis facile fucum fecerunt. Recte Viglius *in Praefat. Theophili: adfert hoc malum omnibus prope rebus humanis diuturnitas, longaevuſque uſus, qui dum conſiſtere nequit, in abuſum fere tendit.* Prudentiores tamen merito riſerunt, atque ubi e re foret, in uſum ſuum & fraudem Politicam egregie converterunt, ut conſtat ex Hiſtoriis. Cum vero deinceps, quod ſaepe falſa deprehenderentur,

rentur, paſſim Oraculorum reſponſa contemnerentur, & evileſcerent, hinc factum, ut, priſtina lucri meſſe fere omni praeciſa, fraudum harum architectos tandem taeduerit, dum homines damno ſuo cautiores redderentur. Optime Minucius Felix, de Apolline Pythio loquens: *cautum illud & ambiguum defecit oraculum, cum & politiores homines, & minus creduli eſſe coeperunt.* Quae vera ſilentii hujus cauſſa, ut adeo hic ad aniles quaſdam fabulas confugere neceſſe non habeamus, dudum ab Antonio van Dale aliiſque Eruditorum docte refutatas. Non defuerunt tamen animi & pecuniae prodigis poſtea quoque ſui inpoſtores, nec unquam ſane deerunt, peſſimo publico. Interim mea facio ejuſdem Felicis verba *in Octavio* ſub fin: *Fruamur bono noſtro, & recti ſententiam temperemus: cobibeatur ſuperſtitio, inpietas expietur, vera religio reſervetur.*

CAPUT V.

Illuſtres Viri a gentilibus Chriſto obpoſiti, aut praelati. In primis id factitatum a Pythagorae diſcipulis. Egregius hanc in rem Jamblichi locus.

Certatim olim veteres Philoſophi operam dabant, ut illuſtrioris famae viros, maxime autem ſectae ſuae auctores, Chriſto paſſim aut obponerent, aut illos etiam ipſi praeferrent. Ita Celſus apud Originem, adducto jam aliis loco, Chriſtianos exagitat, cur non potius Orphei alteriuſve eorum heroum diſcipulos ſe profiterentur, quam Chriſti, cruci adfixi, & longe, ut credebat, ignobilioris. Prae reliquis vero gentilium Sophis Pythagoreorum iſtud inſtitutum fuiſſe dudum obſervarunt Eruditi. Unum tantum

tantum nunc addam inſignem Jamblichi locum, quem ab alio animadverſum non memini. Is vero in lib. *de Vita Pythag.* C. 5. quando ait, ob ſymbolicam docendi rationem non admodum placuiſſe Pythagoram Samiis ſuis, neque libenter auditum fuiſſe, addit: αυτοις ενοικιζειν παντι τροπω επειρετω, μη περιφρονων μη δε ὀλιγωρων της Σαμȣ, δια το πατριδα ειναι, γευσαιτε παντως βουλομενος της των μαθηματων καλλονης τους πατριωτας, ει και μη ἑκοντας. *Apud ipſos habitare omni modo ſtudebat, non contemnens neque vilipendens Samum, quod patria ſua eſſet, & omnino guſtare volens diſciplinarum elegantiam populares ſuos, licet invitos.* Manifeſte hic, puto, obponit Pythagorae factum verbis Servatoris noſtri, qui Nazarethi a civibus ſuis ſpretus, e patria abiit, addens *Prophetam non honoratum eſſe in patria ſua.* V. *Euang. S. Marci* Cap. 6. judicent Doctiores.

CAPUT VI.

Epictetus non fuit Chriſtianus. Jusjurandum tamen inprobavit. Phryges olim omnino non jurabant. Judaei ob jurisjurandi religionem celebrati.

Non ſum equidem ex illis, qui Epictetum a Gentilium turba ſegregant, & Chriſtianorum ordini adſerunt. Contrarium potius, idque evidentiſſime, demonſtraſſe videtur Cl. Roſſal in Diſquiſit. *de Epict. Philoſ. Stoico, qua probatur eum non fuiſſe Chriſtian.* Unum tamen argumentum, quo, praeter alia plurima, in §. 12. & ſeqq. laud. Diſſert. utitur Vir Eruditus, vide, num omne punctum ferat. Chriſtianos, ait, vel juraſſe nunquam, vel ſi jurarent, ſolum Deum teſtem invocaſſe, per Deos vero, vel

Daemonas aut Genium Caeſaris jurare, quam maxime abhorruiſſe, ac mirum in modum fuiſſe deteſtatos. Jam vero Epictetum, ubi ſit aliquid adſeveraturus, paſſim Jovem & Deos crepare, νη Δια, νη τον Δια, νη τους θεους, & ſimilia. Ut vel hinc pateat, quam abſurde Barthius Epictetum hunc Chriſtianum fuiſſe exiſtimaverit. Enim vero ego, pace Docti Viri, jusjurandum probaſſe noſtrum haud crediderim Id quod pro me ipſe Epictetus dilucide ſatis demonſtraverit. Sic enim habet *Enchirid.* Cap. 44: ὁρκον παραιτησαι, ει μεν οἱον τε, εις ἁπαν. ει δε μη, εκ των ενοντων. *Jusjurandum recuſa, ſi fieri poteſt, omnino: ſin minus, quantum potes.* Manifeſtiſſime, vides, Jusjurandum inprobat, & aliis diſſuadere adnititur. Sed quid feceris omnibus iis locis, ex quibus formulae, quas modo memoravimus, tamquam totidem teſtes in contrarium, certatim producuntur? At ex Arriani commentariis cogita. Is vero Epicteti diſputationes quod ad res quidem fideliter ſatis excerpſiſſe videtur, at non iisdem ſemper verbis ac phraſibus. Quod quis dixerit? nec diffitetur quoque ipſemet Arrianus *in Praefat. ad L. Gellium:* ὁσα δε *inquit* ηκȣον αυτȣ (Επικτητȣ) λεγοντος, ταυτα αυλα επειραθην, αυτοις ονομασιν, ὡς οἱον τε ην, γραψαμενος, ὑπομνηματα εις ὑςερον εμαυτω διαφυλαξαι της εκεινȣ διανοιας και παρρησιας *Quae vero ipſum dicentem audivi, ea ipſa ſtudui*, iisdem verbis, quantum fieri potuit, conſcribens, *monimenta in poſterum mihi conſervare ingenii illius & in loquendo libertatis.* Alioqui dicendum eſſet, Epictetum, ut eſt inbecille hominis ingenium, per communem uſum abreptum fuiſſe, & formulas haſce, νη Δια, νη τους θεους &c. more loquendi & adſeverandi tunc temporis recepto in fervore extemporaneae diſputationis, inprudentem tamen, uſitaſſe. At prius praetulerim. Fuerunt ceterum praeter Chriſtianos, nonnullos etiam veterum Philoſophos,

phos, & aliae gentes, quae omne jusjurandum damnabant. Ita de Phrygibus refertur apud Joann. Stobaeum *Serm.* 42. p. m. 290: *Quod nec ipſi jurarent, nec alios jurare adigerent.* Contra Judaei ob jusjurandum adeo celebrabantur, ut Sec. quarto ipſi Chriſtiani, ſi lites per jusjurandum eſſent decidendae, eorum Synagogas & Synedria peterent, quod jurisjurandi religionem multo terribiliorem illic eſſe cenſerent, cujus rei rationem uberius explicat Cl. Weſſeling. in Diatr. *de Judaeor. Archont.* C. x. qui & hujusmodi jurisjurandi Judaici formulas exhibet *Probabil.* Cap. 27. Inter ipſos tamen Judaeos Eſſaei a jurando alieni, V. Joſeph. l. 2. *de bell. Jud.* C. 8. §. 6. Sed hiſce diutius non inmoror.

CAPUT VII.

Lactantius de mortibus Perſecutorum bis correctus.

Lactantius, ſeu quiſquis auctor libelli *de mortibus Perſecutorum*, Cap. 2. ſic editur: *nefas eſt credere, ſicuti duos Prophetas vivos eſſe tranſlatos in ultima . . . . initium Chriſti ſanctum ac ſempiteruum cum deſcendere coeperit . . . . pronuntiant, eodem modo etiam Neronem venturum putant . . . . curſor Diaboli ac praevius ſit venientis ad vaſtationem terrae & humani generis everſionem.* Lacunas has dudum ſubplerunt Eruditi. Sed vitium in ſuperſtitibus nobis latet. Nam quid illud *initium Chriſti ſempiternum?* quorſum reſpicit? lege, amabo, mecum: *nef. eſt cr. ſic. duos Prophetas, vivos tranſlatos, in ultima aetate Judicium Chriſti, ſanctum ac ſempiternum, dum deſcendere coeperit, praecurſuros eſſe pronuntiant, e. m. et. Ner. vent. putant, ut praecurſor Diab.* Senſus: nefas eſt credere; ſicuti

duos Prophetas, vivos (in coelum) tranſlatos, ultimis temporibus ſanctum, & in aeternum ſtabile manſurum, Chriſti Judicium praecurſuros memorant, ita contra Neronem tamquam Diaboli praecurſorem venturum putant, ut terram vaſtet, & humanum genus evertat.

Ejusdem Cap. 21. haec exhibentur: *Dignitatem non habentibus poena ignis fuit, & exilii primo adverſus Chriſtianos permiſerat, datis legibus, ut poſt tormenta damnati lentis ignibus urerentur.* Mire locus hic turbavit Viros Doctos, noviſſime etiam tentatus Iſaaco Touſſaint, juveni egregio, & longiorem vitam merito, *in Conjecturis ad Lactantium*, (quas cum ejusdem *Diſſ. de Joſephi libro* περι αυτοκρ. λογ. *Spurio*, & aliis *Obſerv. ad Palaephat. & Cornut.* Iſ. Cahai, conſobrinus, poſt obitum Touſſainti edidit, ac publice defendit in Academia Friſiorum.) Is autem pro *exigi* ſcribebat *eculei*, ſubintelligebatque *poenam*. leviſſima ego mutatione, at ſenſu prorſus adpoſito, repoſuerim *exigi*. Dicit, poenam eam ignis, quam in dignitatem non habentes ſtatuerat Maximianus, adverſus Chriſtianos primum permiſiſſe exigi, plane ut Cap. 22. *Quae igitur in Chriſtianis excruciandis didicerat, conſuetudine ipſa in omnes exercebat.*

CAPUT VIII.

Paulini Nolani locus explicitus. In Ovidio tentata emendatio.

Paulinus Nolanus *Nat.* 8. ℣. 74. ita legitur:

Ergo Deum mitem ſaevo timeamus in hoſte:
Abſit ut hoſte metus, quem formidare meremur,
Negligimus ſaltem vi compellente tremamus.

At

At recte jam monuit Celeb. Jo. Fr. Gronovius *Obſ. in Scriptor. Eccl.* C. x. *illud* negligimus *ſine arte & praeter morem pii Poetae abruptum eſſe.* Tentatque adeo *quem formidare merentem negligimus* &c. *Deus meruit*, inquit, *& meretur quotidie, ut eum timeamus: nos vero (malum!) unius maxime metuendi timorem nullum habemus. Niſi mavis*, addit, *merentes, hoc eſt debentes nos. Metuamus, inquit, non tam hoſtem, quam Deum in hoſte, ſic erit ut hoſtis metu liberemur. Quem, cum debeamus formidare, negligimus alioquin aut inpii prorſus aut diſſoluti, eum vel nunc vi hoſtili compellente vereamur.* cet. Enim vero amplector priorem Summi Viri conjecturam, qua *merentes* reſtituit. Sed longe aliter ego explicuerim. Paulinum credo *merentem* abſolute pro bene merenti ac benefico dixiſſe, & hanc verborum genuinum eſſe ſenſum: Deum, quem nobis beneficum & faventem formidare negligimus, fortuna ſecunda in transverſum acti, eum nunc ſaltem, vi hoſtili urguente, timeamus. Totus nempe Paulinus in eo eſt, ut doceat, quanto opere in ſecundis Dei beneficia negligere ſolerent, ideoque iis merito hanc calamitatem Deum inmiſiſſe. Quapropter monet, ut quem rebus proſpere fluentibus formidare neglexerant, eum jam tandem, hoſtibus ingruentibus & neceſſitate adacti, tremerent. Hinc ſtatim addit

Placemus moerore humiles, quem laeta ferentem
Spernimus, ex ipſa mox proſperitate ſuperbi.

Nec inuſitatam eſſe hanc, quam dedimus, *merendi* verbi ſignificationem, patet vel ex Virgiliano illo, quo nihil notius,

Quique ſui memores alios fecere merendo.

lib. 6. *Aeneid.* Sic & Hubertinus explicabat Ovid. *Epiſt.* 7. *Heroid.* ℣. 84.

Haec

Haec mihi narrabas, at me movere merentem,
Illa minor culpa poena ſutura mea eſt.

Diſſentiente tamen Cl. Burmanno, quem vide. Interim Diſtichon totum ſic conſtituerim:

Haec mihi narrabas, & me movere ſurentem,
Inde minor culpa poena ſutura mea eſt.

Quam frequenter *ſurere* amantes dicantur, nemo neſcit, niſi qui omnem in literis humanitatem exſuit. Ceterum quum haec jam praelo data eſſent, nactus ſum Editionem Pariſ. 1685. Operum Paulini, ubī, inſerto e MS Codice Germ. uno verſu, explicitus a nobis locus ſic exhibetur:

Abſit ut hoſte metus, quem ſormidare meremur
Non metuendo Deum, placida quem pace remiſſi
Negligimus, ſaltem vi comp. trem.

Quod ſi recipiatur, neutra Gronovii opus fuerit emendatione, & verba ſatis dilucida ac perſpicua. Sed an unius Codicis fide hic ſtandum ſit, forte quis dubitaverit. Nihil tamen nunc ſtatuo.

C A P U T IX.

Idem Paulinus ſemel atque iterum emendatus. Oſiris & Horus a Chriſtianis nonnunquam confuſi.

Paulinus porro *Natal.* XI. ℣. 29. & ſeqq. corrupte legitur:

Ergo Dea eſt Iſis, mulier Dea, ſi Dea corpus,
Non habet, & ſexus ſine corpore, aut ſine ſexu
Pars habet. Unde ergo illi quem quaerat Oſirim,
Atque ubi quaerat eum neſcit Dea?

De.

Depravata iſta quum facile animadverteret ſagaciſſimus Muratorius, ſic reponebat To. 1. *Anecdot:*

Ergo Dea eſt Iſis? mulier Dea? ſi Dea corpus
Non habet, & ſexum ſine corpore, vel ſine ſexu
Corpus habet? unde ergo illi quod quum quaerit Oſirim,
Aut ubi quaerat eum, neſcit Dea?

Sed & nimis abit a ſcriptura veteri haec Tanti Viri criſis, &, ut puto, a ſententia ipſius Paulini, nec penultimi verſus emendationem metrum patitur. Quaerendum igitur aliud quid. tentabam:

Ergo Dea eſt Iſis? mulier Dea? ſi Dea corpus
Non habet, & ſexum; ſine corpore, nec ſine ſexu
Natum habet; unde ergo illi quem quaerat Oſiris,
Atque ubi quaerat eum neſcit Dea?

Haud dubie eliſin ante *illi* neglexit Paulinus. Ita aliquoties antiqui, paſſim autem Poetae recentiores, V. ad Anton. Carmen *adv. gent.* adde Vir. Doct. *ad Paulini Epiſt.* 1. *ad Auſon.* ℣. 31. Senſus ille: ergo ex veſtra ſententia Iſis Dea eſt? ſed unde Dea mulier? ſi namque Dea non habeat corpus, aut ſexum; nec etiam ſine corpore & ſexu natum habeat; unde ergo exſiſtit illi Oſiris, quem gemebunda adeo ubique quaeritet? & unde eſt, quod, quum Dea ſit, neſciat tamen, ubi eum requirat? videntur Chriſtianorum quidam Oſirim, quem plerique Iſidis maritum, pro filio ejus habuiſſe, & cum Horo forſan confudiſſe, ut aliunde probatu eſſet facile, ſi hoc ageremus, conf. Cl. Murator. ad noſtri ℣. 1x1. & Ill. Grot. *ad Martian. Cap.* l. 1. p. 2. poſſet etiam legi *nae ſine ſexu natum habet!* nae illa ſine corpore aut ſexu, puto, natum habet! Ironice. An & *Oſirim* retinendum? ut dixerit *quem quaerat Oſirim*, pro *Oſiris, quem quaerat.* Sic ſaepe Relativum format antecedentis

dentis Subſtantivi caſum, ut pluribus notatum alibi.
℣. 134.

Virtus trina Deus, Pater unus, & unus in ipſo
Filius, ex ipſo ſimul unus cum patre verbi
Spiritus. Haec trina ſunt Deus unus nomina ſemper.

Ultimi verſus laborat Caeſura. Doctiſſ. Editor refingebat *Haec trino Deus unus nomine ſemper.* Leviorne medicina? *Haec tria ſunt Deus unus nomina ſemper.*

CAPUT X.

Martianus Capella plurimis locis emendatus. Cornelius Nepos uno tentatus. Veteres ſaepe Graecas voces orationi inſerunt, expreſſas tamen Latinis literis. Et nonnulla alia.

En tibi nunc ſpecimen variarum Emendationum, quas in Martiani Capellae libris *de nuptiis Philologiae & Mercurii* tentavimus, ex quo, de reliquis quid habendum, ſtatuas, tuto licet.

Lib. 1. p. 2. ed. Grotii. *Nam reginam tantum marito dependiſſe Memphiticam, ut obſita luctu perpetuo nunquam eum contenta ſit invenire.* l. *jam reginam.* V. Gronov. *ad Macrob. in Somn. Scip.* l. 2. C. 16. tum deinde *nunquam eum non tenta ſit invenire.* Nam ſenſus exigit. De vocabulo *tentus* V. Cl. Duker. *de latinit. Juriſc. Vet.* p. 421. Junc. §. 12: *Inſt. de fideic. heredit.* & l. 3. *Cd. de jure emphyt.*

P. 3. *ac jam pubeſcentes genae ſeminudum eum incedere, chlamydeque indutum parva, invelatumque caetera, humerorum cacumen obnubere ſine magno riſu Cypridis non ſinebant.* Diſtingue: *invelatumque cetera humerorum, cacumen obn.*

Ibid. *Itaque pro induſtriae dignitate quam conveniret accipere, cuncta merito longae deliberationis alternat.*

l. *pro*

l. *pro inluſtri ea dignitate*. *Dignitas* notat corporis ſtaturam & formae pulcritudinem. Paullo ante dixerat *palaeſtra crebriſque diſcurſibus exercitum corpus lacertoſis in juvenilis roboris excellentiam toris virili quadam amplitudine renidebat*. Paſſim autem *dignitas* id quod diximus indicat, Nepos *in Eumene* C. XI. fin. *nam & dignitate fuit honeſta, & viribus ad laborem firmis, neque tam magno corpore, quam figura venuſta*. Tranſpoſuerim: *nam & viribus ad laborem firmis, & dignitate fuit honeſta, neque tam m. c.* De *dignitate* plura ibi notarunt Viri Docti.

Ibid *Non diſpar illum formae deſiderabilis, grataque luculentas in Manticen quoque ſuccenderat*. l. *non diſpar illum formae deſiderabilis gratiaeque luculentas*. aut *forma deſiderab. grataque juventas*.

P. 4. *Delius quoque, ut ramale laureum geſtitat, divinatrice eadem conjecturalique virga, volucres illi, ac fulgurum jactus, ac ipſius meatus caeli ſyderumque monſtrabat*. l. *volucris linguas, fulg. j*.

P. 6. *Nec mirum quod Apollinis ſylva iterata modificatione congrueret, cum caeli quoque orbes moduletur in ſole*. l. *aethereae modificationi congr*.

Ibid. *Qui hunc ſequebatur, aureus ac fulgidus, & flammis coruſcantibus rutilans, ſed diverſitate fluminum utrinque conjunctus, quibusdam rivulis intermixtis, quantum penſabat moderatio temperabat*. l. *q. penſabat moderatio temperata*. aut *q. penſata moderatio temperabat*.

P. 8. *alia etiam quae fuerat ex argenti materie, praeſerebat ſerena fulgentia, & vernantis caeli temperie renidebat. Hanc dicebant riſum Jovis*. l. *ſerena fulgera, & v.* vel *praeſ. ſerena, fulgentique vernantis caeli temp. ren*.

Ibid. *haec Saturni vocabatur exitium*. l. *exſilium*.

P. 9.

At praeſcire Deis vacuum eſt, cunctatio nulla eſt,

Quod

Quod Superi voluere, licet de pectora fixis
Praeoptare caret, ſi quod placet, atque neceſſe eſt.
lego *Quod S. voluere, licet: de pectore fixis Praeopt. caret.* De particulae *atque* uſu plura dabit Burmann. *ad Phaedr.* I. 16.

P. 10. *Phoebo ſuevit inſtante concedere, tibi ſectus ſolitus aperire.* l. *tibi ſenſus ſol. ap.*

p. 12.
Futura cujus illigat decretio:
Inſtatque quicquid velle vel ſerum potes.
l. *Inſtare quicq. v.*

P. 16. *Nam Jovis Secundani, & Jovis Opulentiae, Minervaeque domus illic ſunt conſtitutae.* l. *& Junonis Opulentiae.*

Ibid. *Vos quoque Jovis filii Pales & favor cum celeritate Solis filia poſcimini.* Forte *Pales & Sapor.* Jam ante dixerat *Lar caeleſtis nec non etiam militaris, favorque ex quarta regione venerunt.* Hinc etiam ſub init. p. 16. pro *ſalus ac lares, Janus, favores, Opertanei, Nocturnuſque*, lubentius legerim *Sopores, Opert.* ſicut & in fine ejusdem pag. pro *venit ex altera fortuna & Valitudo, favorque paſtor manibus refutatis*, emendandum *pavor pallorque m. r.*

Ibid. *fraudem quippe ex eadem poſt longam deliberationem placuit adhiberi.* l. *fraud quoque.*

P. 17. *ex ultima regione Nocturnus, Janitoreſque terreſtres ſimiliter advocati.* Dudum *Nocturni* meminerat. Hic itaque loco non ſuo quantocius erit dejiciendus. l. *ex ult. reg. Forculus*, aut *Foriculus*, V. Auguſtin. *de Civ. Dei* l. 4 C. 8. & l. 6. C. 7. niſi malueris *Vortumnus.* vel *Portumnus*, V. Feſtum in hac voce.

P. 20. *poſterior autem pars corona Hydatide adamante & criſtallo lapidibus alligabatur. Hos enim hiems undoſa genuerat.* l. *hos ei h.*

P. 22.

P. 22.

Noſtri Majugenam pignoris inclytum
In noſtris merito degere ſenſibus.
l. *Noſtis Majugenam pignus id inclytum.*

P. 23.

Suadentem meritis ſaecla laboribus.
l. *Sudantem.*

P. 24. *His igitur actis ſolio Rex ipſe ſurrexit, omniſque ille Deorum numerus ſedes proprias curſuſque repetivit.* l. *s. propr. curaſque r.*

Lib. 2. p. 27. *Sed adverſum illa quoddam Abderitae ſenis alimma, cui multa lapillis ſurculiſque permixtis herbarum etiam membrorumque conceſſerat, praeparavit.* Locus foede depravatus! haud dubie vera lectio, *cui multam, lapillis ſurculiſque permixtis, herbarum eſcam unguentorumque congeſſerat, praep.* Si malis, minori cum mutatione repone, *cui multa, lap. ſurc. permixtis, herbarum etiam unguentorumque congeſſ.* Ego interim priorem emendationem praefero.

P. 27. *Quid adverſum ignes Superos & Deorum confinia praeparata, decoris incuriam venuſtatis etiam lumine ſubmovebat.* l. *quis adv.* Sic paſſim Martianus.

P. 29.

Qui caelum ſtellet fomes, & quanta revolvat.
l. *& quando rev.*

P. 34. *Praeterea tres puellae vultu decoreque parili ac venuſtate luculentae, ſertis religatae invicem manus roſarumque ſpeculis redimitae ad virginem convenere.* forte, *roſarumque ſtephanis red.* Στεφανος Graecis *corona, ſertum.* An ad *ſpeculis* hic quidquam fecerit σπεκλοω, quod notat *inplico?* viderit alius.. Saepius certe Graeca Vocabula Latinorum ad uſum formare & orationi ſuae inſerere noſter adamat. Sic ſupra p. 30.

—— —— —— *Inclitoque numine*
Cruenta dudum quae jugare rhytmica
Ac diſpari mixta ſueta regula.

Quid hic *cruenta rhytmica* ſibi velint, haud facile quiſquam expediverit, niſi adtendat ad Graecum verbum κρέω, & quod formatur inde. Ipſemet, antequam hoc incideret, dudum tentaveram, *inclitoque numine favente d.* at prorſus infeliciter, ut poſtea conperi. Ceterum antiquiores etiam uſos quandoque Graecis vocabulis, quae tamen Latinis notabant literis, jam olim obſervavit Muretus 1. *Var. Lect.* C. 3. Lucretio *durateus equus* dicitur pro ligneo, e media Graecia, V. Ang. Politian. *Obſerv. & Emend.* Cap. 5.

Ibid. *quae quidem Virginem poſtquam lumine replevere.* l. *numine.*

P. 38. *Illi, inquit, quos ignitae ſubſtantiae flammatiſque ſuſpicimus.* l. *flammantiſque.* Sic p. 39. *ſepta flammantia.* & ſaepius.

P. 40. *Atque in eo perenni ſtrepitu volutata colliditur animarum, quas Vedius adjudicarit inpietas, id eſt Pluton.* l. *vol. colliditur anima eorum, quos V.* pro *inpietas* legendum eſſe *inpietatis* jam monuit Summus Grotius.

Lib. 3. p. 51. *Si quidem inpendimus actionem, cum quid conſcribimus legimuſve. Sequentium vero ſpectaculo detinemur, cum ſcripta intelligimus, aut probamus. Et licet inter ſe quadam cognatione conjuncta ſint, ſicut ceteris artibus comprobatur.* Illa *& licet* hic nihili eſſe, tuto dicere licet, nec enim quidquam ſequitur, quod ipſis reſpondeat. l. *videlicet inter ſe q. cogn. conjuncta ſunt, s.*

P. 53. fin. & 54. *finit autem nomina maſculina, ut* Cato. *foeminina, ut* Juno *Numerum omnium generum, ut* octo. *Item verba activa* canto, laudo. *Modi Imperativi tantummodo invenitur, ut* cedo. *Adverbium, ut* ſubito. *Praepoſitionem, ut* pro. Vin' ſenſum? lege, *modi imperativi tantummodo unum finit, ut* cedo.

P. 56. & *maſculino & foeminino omnibus vocalibus ſociatur, ut* Ajax, frutex, calix, velox, Pollux, *& foeminino* fax, lex, lodix, velox, lux. l. *lodix, ferox,*

rox, *lux*. Sed & poſtremum iſtud *& foeminino* Gloſſema ſapit. exſtirpandum itaque.

P. 65. *E litera finitus in Graecis longus eſt*, *ut* Euterpe. *I autem terminatus longus eſt*, *ut* frugi. l. *I item t.*

Lib. 4. p. 95. *haec autem ex harenis Libyae anhelantis adducitur*, *quod & capillicium implexum docet*, *& amicitia venenorum*, *aut fidendum forma copulam eſſe Marſicae nationis* l. *aut fid. pharmacopolam eſſe M. n.*

Lib. 5. p. 137. *Denique exilis in modicis: in mediocribus facilis*, *in elatione flammatrix*. l. *exilis in immodicis.*

P. 139. *& admirationem amicitiae Superorum incerti*, *diutius divinatorem Phoebum cuperent ſciſcitari.* l. *inc. ocius d. Ph.*

Ibid. *tamen Jove cum Superis imperante accingar igitur haec aridiora percurrere.* l. *accingar jugiter.*

P. 177. *deinde ut ſi longiora fuerint ſunt ediſcenda*, *diviſa per partes facilius cohaereſcunt.* l. *long. fuerint*, *ſint diſpeſcenda*, *d. p.*

P. 179. *Attentum facimus*, *ſi magnam rem geri*, *ſi publicam*, *aut plurimam dicimus.* Res quae plurimum accidit, & in omnium ore verſatur, potius parum adtentum fecerit auditorem. l. *aut pulcram d.*

P. 180. *aut acclamatio*, *vel irriſio ulla intervenit.* l. *occlamatio.*

P. 181. *Veriſimilis*, *ſi nihil affectate*, *& quaſi ex natura exponere videantur.* l. *videamur.*

Ibid. *Brevis*, *ſi non ultra quam res exigit*, *& prolixe fundatur aſſertio.* l. *nec prol. f. a.*

Lib 6. p. 139. *haec utpote talentorum conſcia*, *in omnium rarae congreſſus.* l. *tal. conſcia dominii*, *rara congr.*

Lib. 9. p. 301.

Flora decens trina anxia cum Charite.

l. *trina Flora decens a. c.* At ne ſpeciminis modum egredi videar, manum de hac tabula.

CAPUT XI.

Cicero emendatus. Pomponius ſublata interpunctione cum eodem conciliatus. Aſconius correctus. Quaedam de primis Tribunis pl.

Ciceronis *in Orat.* I. *pro C. Cornelio* haec ſunt: *Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno* XVI. *poſt Reges exactos propter nimiam dominationem potentium ſecederent, leges ſacratas ipſi ſibi reſtituerent, duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons ſacer nominatur, aeternae memoriae cauſſa conſecrarent. Itaque auſpicato poſtero anno decem Tribuni pl. Comitiis Curiatis creati ſunt.* Omnia ſana, praeterquam τα *decem tribuni*, quae ſi retineas, adverſabitur ſibimet Cicero; dixerat paullo ante, *duos tribunos crearent.* Neque verba ea, *itaque auſpicato poſtero anno* &c. de aucto poſtea Tribunorum pl. numero intelligi poſſe in aperto eſt; nam demum anno trigeſimo a primis Tribunis decem ſunt creati, bini ex ſingulis claſſibus. Notiſſimum id ex Livio lib. 3. C. 30. Ubi & decem illos Tribunos Comitiis Tribuniciis creatos fuiſſe memorat: *Tribunicia Comitia*, inquit, *ne id quoque poſt bellum, ut cetera, vanum eſſet, extemplo habita. Trigeſimo ſexto anno a primis Tribunis plebis, decem creati ſunt, bini ex ſingulis claſſibus.* Tribunos autem pl. quorum meminit Cicero, Comitiis Curiatis creatos ipſe addit, quod de primis capiendum eſſe docet Dionyſ. Hal. l. 6. p. 410. νεμηθεις δε ὁ δημος εις τας τοτε ουσας Φρατριας, η ὁπως βουλεται τις αυτας προσαγορευειν, ἁς εκεινοι καλουσι Κουριας, αρχοντας ενιαυσιαιους αποδεικνυουσι τους περι λευκιον Ιουνιον βρουτον και Γαιον Σικιννιον βελλουτον, ὁυς και τεως ειχον ἡγεμονας. Ne adeoque te diutius morer Lector, pro *decem tribuni* reſcribendum credam *duo tr.* Sic ſalva omnia.

Fa-

Facilis autem in numeris librariorum lapſus. Pomponius vero, ut id breviter addam, *de Orig. Jur.* §. 20. uno anno ſeriorem quam Cicero Regum fugam ponit. Dicit enim: *iisdem temporibus cum plebs a patribus ſeceſſiſſet, anno fere ſeptimo decimo poſt Reges exactos: tribunos ſibi in monte ſacro creavit.* Sed Vin' cum Cicerone conſpiret? poſt *exactos* interpunctionem tolle, & nihil reperies diſcriminis. Niſi quod Pomponius crediderit tres initio Tribunos pl. creatos fuiſſe: *dicti Tribuni*, inquit; *quod olim in tres partes populus diviſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur.* De quo diſſenſu Veterum, quod ad numerum primorum Tribunorum, ad d. Ciceronis locum conferri meretur Aſconius; qui & ipſe, ſed alio loco, eſt corruptus, hac autem occaſione reſtituam. Verba ejus ad Orat. *contra C. Anton. & L. Catil.* ſeu *in toga candida* prope fin. ſic circumferuntur: *Piſo autem, cum haec dicerentur, perierat in Hiſpania, miſſus a Senatu per honorem legationis, ut avus ſuus ablegaretur.* Quid hic *avus ſuus* denotet, quibuſvis tenebris eſt obſcurius. Sine mora reſcribe, *pravus civis.* Nec aliter Salluſt. *in Catil.* Cap. 19. de eodem Piſone: *neque Senatus provinciam invitus dederat, quidpe foedum hominem a republica procul abeſſe volebat.* Certiſſima haec emendatio haud ulteriori probatione indiget.

CAPUT XII.

Feſtus aliquoties emendatur. Id eſt mutatum in &.

Feſtus in voce ADULARI: *adulari eſt compoſitum ex adcedendo & adludendo.* lege, *ex adludendo, id eſt adcedendo.* Similiter & pro *id eſt* exaratum alibi invenias. Sic in l. 233. pr. D. *de Verb. ſignif. Si calvitur & moretur & fruſtretur.* Reponendum utique,

 ſi

ſi calvitur, *id eſt moretur*, quod dudum monuerunt alii, V. Cl. Duker. *de Latin. Vet. Ict.* p. 160. & Conſultiſſ. Idſinga *in Variis Jur. Civ.* Cap. 5.

Idem Voce AGNUS: *agnus deducitur a Graeco* ἅγιος, *quod ſignificat caſtum*, *eo quod ſit hoſtia pura*, *& inmolationi apta. Agnus ex Graeco* αμνος *deducitur. Quod nomen apud majores communis erat generis*, *ſicut & lupus*, *quod venit ex Graeco* λυκος. lege, *aliis agnus ex Graeco* αμνος *ded.* de Etymo autem vocis *agnus* ſi plura deſideres, adeas velim Cl. Lamb. Bos *Specim. Obſ. ad Script. quoſd. Lat.* C. 15.

In ALGEO: *algeo ex Graeco* αλγω *dicitur*, *id eſt*, *doleo. Ut ſit frigus*, *dolor quidam membrorum rigore conjectus.* Bonaventura Vulcanius jam emendarat *rig. collectus.* Malim *rigore conjunctus.*

V. BRACHIUM: *brachium nos*, *Graeci* βραχιων *dicunt. Quod deducitur a* βραχυ, *id eſt breve: eo quod ab humeris ad manus breviora ſint*, *quam a coxis plantae.* l. *eo quod ab humeris ad manus brachia breviora s.*

V. BREVES: *breves Graeco deſcendit*, *quod eſt* βραχύ. l. *breve e gr. deſc.*

V. BULLA: *bulla aurea inſigne erat puerorum*, *quae dependebat eis a pectore*, *ut ſignificaretur eam aetatem alterius regendam conſilio. dicta autem eſt a Graeco ſermone* βȣλη, *quod conſilium dicitur Latine. Vel quia eam partem corporis bulla contingat*, *id eſt pectus*, *in quo naturale manet conſilium.* Tranſpoſuerim, *quae dep. eis a pectore. dicta a. e. a gr. s.* βȣλη, *quod conſ. dicitur Latine*, *ut ſignificaretur eam aetatem alterius regendam conſilio. Vel quia eam partem* &c.

V. BURRUM: *pari modo rubens cibo ac potione ex prandio burrus appellatur.* l. *p. m. rubens cito a potione ex pr.*

V. BUSTUM: *buſtum proprie dicitur locus*, *in quo mortuus eſt combuſtus*, *& ſepultus. diciturque buſtum*, *quaſi*

quaſi bene uſtum. Ubi vero combuſtus quis eſt tantummodo, alibi vero ſepultus, is locus ab urendo uſtrina vocatur. Sed modo buſtum, eo, quod ſepulcra vocamus. l. *ſed & modo buſtum, eo, quo ſenſu ſepulcra, vocamus.*

CAPUT XIII.

In Silio Italico antiqua lectio vindicata. Idem binis locis emaculatus. Uno tentatus. Famulus lateri.

Silius Italicus lib. 1. ℣. 165.

Quem poſtquam diro ſuſpenſum robore vidit
Deformem leti famulus, clam corripit enſem
Dilectum domino, pernixque irrumpit in aulam.

Viſitur in multis *deformem lateri famulus.* Quod cur tanto ardore rejiciatur, non video. Neque enim τὸ *lateri* ad ſequentia referendum, ac ſi a latere domini ſui, in crucem acti, ſervus enſem arripuiſſet, uti perperam putabat Modius, ſed ad famulum pertinet. Hoc igitur pacto inſtituenda conſtructio: *quem poſtquam famulus lateri deformem diro ſuſpenſum robore vidit, clam enſem corripit* &c. *famulus lateri* eſt, qui domini lateri adhaerebat, herumque aſſidue ſequebatur. Qua eadem notione noſtratibus **een Lyfknegt**, q. d. *famulus lateri.* Unde & *latronem* derivant Varro, Feſtus, alii, V. Cl. Heſſel. *ad Ennii fragm. ex l.* 1. *Annal.* p. 18. fruſtra itaque Modius hoc loco, velut indignabundus, quaerit, *quid eſt, quod ait, lateri famulus clam corripit enſem dilectum domino? gladio accinctus credo, ille in crucem ſublatus erat.* cet. Si tamen prior lectio eſſet praeferenda, ſcriberem, *deformis leti famulus*, ut ſenſus ſit, *quem ut famulus*

vidit ſuſpenſum robore deformis leti, & imitatus videatur Maron. 12. *Aen.* ℣. 603.

Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

Quem locum Barthius quoque, at alio fine, adlegaverat.

l. 2. ℣. 110.

—— —— —— indignumve ſagittae
Inpubem malas tam certae occurrere Lyxum
Fuderat. lego,
Inpubem, malis tam certae occurrere, L.

℣. 299.

Exagitant manes juvenem, furiaeque paternae,
—— —— —— —— —— ——
Annuit. Ille novi caecus caligine regni
Externas arces quatit ut Tirynthia tecta.

Illi *annuit* nec ego poſſum, nec quiſquam forte alius annuere quiverit. Lege, ſi quid valeo, mecum, *at nunc* (vel *ac nunc*) *ille novi c.* Virgil. 4. *Aen.* 215.

Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu.

Non procul a vero aberat liber Colonienſis, qui, ut Heinſius refert, *an nunc* repraeſentat.

℣. 372.

Di procul, o, (merita eſt ſi nunquam talia plecti
Karthago) prohibete nefas, noſtrique ſolutas
Ductoris ſervate manus. An legendum?
Di procul, o, meritus qui nunquam talia, plecti,
Karthago prohibete nefas. Hoc ſenſu: Di tuque Karthago tantum prohibete nefas, eo modo plecti qui talia nunquam eſt promeritus. Reſpicit nimirum ad Hannibalem, quem noxae ſibi traditum Romani cupiebant, unde & addit, *noſtrique ſolutas Ductoris ſerv. ma.* Barthii certe conjectura, quam apud ipſum videri

videri malo, parum elegantem reddit ſententiam. Sin quidquam mutare religio, mutata dumtaxat interpunctione, vide num abſurde legeris:

Di procul o merita eſt nunquam ſi talia plecti Karthago! prohibete nefas! conſtructione confuſiori, ut aliquoties haud inſolens Silio. Verba ſic forent connectenda: *procul o Di talia, ſi nunquam Karthago merita eſt plecti! prohibete tantum nefas!* procul haec avertite, inquit, Superi, ſi quidem Karthago a vobis plecti nunquam meruit ceſ.

CAPUT XIV.

Unus alterque Julii Obſequentis locus ab emendatione vindicatus.

Julius Obſequens in libello *de Prodigiis* Cap. 97. haec habet: *Pompejus Elvius eques Romanus, a ludis Romanis cum in Apulia reverteretur, in agro Stellati, filia ejus Virgo, equo inſidens, fulmine icta, exanimataque, veſtimento deducto, in inguinibus exerta lingua per inferiores locos, ut ignis ad os emicuerit.* At quae verba a Viris infinito me doctioribus, & quibus venerabundus adſurgo, pro corruptis habita, variiſque dudum modis tentata fuerunt. Sed forte nullo vitio ſunt inquinata, quin ſaniſſima cuilibet ſtatim adparuerint, dum recte hoc modo diſtinguantur: *filia ejus Virgo, equo inſidens fulmine icta exanimataque veſtimento deducto in inguinibus, exertâ linguâ, per inferiores locos ut ignis ad os emicuerit.* Conſtructio haec: *f. e. Virgo, equo inſidens, fulmine icta in inguinibus, veſtimento deducto, exanimataque exertâ linguâ, ut ignis per inferiores locos ad os emicuerit.* Solere aliquoties Obſequentem ſtructuram pervertere, nemo ignorat, niſi qui nunquam eum legerit. Sic

Digitized by Google

Cap. 128: *in aede Caſtoris nominum literae quaedam Antonii & Dolabellae Conſulum excuſſae ſunt.* pro *literae quaedam nominum Antonii.* Tum deinde, *canum ululatus nocte ante Pontificis Maximi domum Lepidi auditi.* Cap. 129. *quidam e populo ſanguine victimarum prolabſus reſperſam cruore palmam proficiſcenti dedit.* Pro *quidam e populo prolabſus ſanguine victimarum, palmam* (Scheffer. *paludamentum.* Sed V. Oudendorp.) *cruore reſperſam proficiſcenti dedit.* Haec adeoque loca Eruditos turbare non debuerant, uti quandoque & turbaſſe video Virum cetera egregium, cujus Adverſaria Critica *in Obſequentem* conparent Vol. 8. To. 2. *Obſervationum Miſcellanearum*, quae, bono publico, produnt in Belgio noſtro.

C A P U T X V.

Plinius Junior ter correctus. Spectare pro exſpectare. Ratilatio.

Plinii Junioris lib. 2. *Epiſtol.* 1. ſub init. ex Editionibus noviſſimis Cl. Longolii & Geſneri haec exhibentur: *Caeſares quibus ſuſpectus* (loquitur de Virginio Rufo) *atque etiam inviſus virtutibus fuerat, evaſit: reliquit incolumem optimum atque amiciſſimum, tamquam ad hunc ipſum honorem publici funeris reſervatus.* Sed miror in notis Viros Doctos nihil memorare de lectione iſta, *reliquit* SE *incolumem* &c. Quam tamen in vulgatis conceptam fuiſſe jam monuerat Jo. Wittius *in Sylloge Epiſtolar. Anton. Matthaei Epiſt.* 17. Unde idem Wittius conjiciebat, *reliquit Senatum incol.* Parum concinne, ut nemo non videt. Legerim ita, *reliquit ſenem incolumem opt.* Intelligit Nervam, ſub quo defunctus eſt Virginius. Ceterum, utrum *reſervatum* legas, quod quibusdam placuit, an *reſervatus*, ſane perinde eſt.

Li-

Libro porro x. p. 782. ed. Longol. inſeritur Edictum Divi Nervae, cujus exemplar, occaſione litis inter Archippum & Furiam, Plinius Trajano miſerat. Initio autem hujus Edicti hodie ſic legimus: *quaedam ſine dubio, Quirites, ipſa felicitas temporum edicit, nec ſpectandus eſt in iis bonus Princeps, quibus illum intelligi ſatis eſt.* Malim *nec exſpectandus.* Antecedens *ec* ſequentem ſyllabam *ex* abſorbſit forſitan; niſi *ſpectare* hic idem quod *exſpectare*, de quo verbi uſu V. Commentat. ad Noſtri *Panegyr.* Cap. 35. Gruter. *ad Sen. & P. Syr. Sentent.* 2. pluresque alios. Pro *ſatis* quantocius reponendum *ſatius*, ut ſenſus ſit: non eſſe in his exſpectandam Principis benevolentiam, in quibus ſatius ſit eamdem revera experiri, & boni Imperatoris clementiam intelligere. Sic reſpicit ad ſe ipſe, quoniam non rogatus Edictum hoc propoſuerat.

Sequitur poſt interjecta quaedam: *nolo exiſtimet quiſquam, quae alio Principe vel privatim vel publice conſecutus, ideo ſaltem a me reſcindi, ut potius mihi debeat, ſi illa rata & certa, nec gratulatio ullius inſtauratis eget precibus.* Verba *ſi illa rata* cet. ſenſu carent, & a variis varie conſtituuntur. Veriſſima lectio, *ut p. mihi debeat. Sint illa rata & certa.* Maluerim etiam, *nec ratilatio ullius*, i. e. quod anterioribus Principibus ratum eſt habitum. Genius equidem linguae huic vocabulo non adverſatur, parili enim modo dicitur *acceptilatio*, qua aliquid pro accepto habetur; ſic & *expenſilatio*, aliaque. Nullibi tamen me legere memini, qua propter necdum urgueo.

CAPUT XVI.

Porphyrii verba integritati reddita. Violentior criſis merito damnata.

Porphyrius lib. 1. Περι αποχης εμψυχων §. 42. ſic editur: Το δε οιεσθαι κατα την αισθησιν παθαινομενον προς τοις νοητοις ενεργειν, πολλυς και των βαρβαρων εξετραχηλισεν, οἱ επι παν ειδος ἡδονης προηλθον εκ καταφρονησεως, λεγοντες, και τον δυνασθαι προς αλλοις οντα τη αλογια χρησθαι τυτοις επιτρεπειν. In hiſce ultimis aliquid deeſſe dudum animadverterat Lucas Holſtenius, qua propter & in Verſione ſua aſteriſcum praefixerat. Poſt eum idem vidit Petrus Petitus Lib. 1. *Miſcellan. Obſerv.* Cap. 5. Is vero, cum ſemel ſibi perſuaſiſſet, per *barbaros* hic intelligi Hebraeos, & Porphyrium Salomonem notare voluiſſe, qui in *Eccleſiaſte* habet, *vanitas vanitatum*, *dicit Concionator*, *vanitas vanitatum*, *& omnia vanitas*, at altero ibidem loco, *& quidem ſapientia conſtitit mihi*, *& omne quod poſtularent oculi mei*, *non abſtuli ab eis*; mox locum hunc priſtinae integritati, ut ait, ſic reſtituit: οἱ επι το παν ειδος ἡδονης προηλθον, εκ καταφρονησεως λεγοντες. ματαιοτης ματαιοτητων, και παντα ματαιοτης (*vel brevius*, inquit) παντα ειναι ματαια. και τον σοφον δυνασθαι προς αλλοις οντα τη αλογια χρησθαι, και τυτο θεον επιτρεπειν. i. *qui ad omnem voluptatis ſpeciem profluxerunt*, *per contemptum dicentes*; *omnia eſſe vana*, *poſſe ſapientem in aliis occupatum*, *uti irrationalitate* (cupiditatibus obſequi,) *neque Deum hoc vetare*. Miram, me Hercules, audaciam! quis in una ſententia tot pariter excidiſſe crediderit? non utique ego. Amo equidem Divam Criſin, & veneror merito. Sed, ut Horatius, *Eſt modus in rebus* &c. Tam inpudenter in Veterum Scripta qui graſſatur, foetus ſpurios pro legitima ſobole

bole parenti falſo ſubponit, &, quod Ajax, apud Ovidium, inquiebat,

Inſerit Aeacidis alienae nomina gentis.

Egregie omnino Vir Doctus, qui ſub *Philargyrii Cantabrigienſis* nomine latere voluit, *Emend. in Menandr.* p. 40: *Criticen exercemus artem nobiliſſimam, ſi in emendando ſimus frugales, viliſſimam & abjectam, ſi nec modum, nec finem habeat ſpurciſſima & inſatiabilis ſingula contrectandi libido.* Quid ni levior medicina? εκ καταφρονησεως λεγοντες. και δυνασθαι τον προς αλλοις οντα τη αλογια χρησθαι, και τετοις επιτρεπειν. *Per contemtum dicentes: aliis & ſublimioribus rebus vacantem, quandoque etiam deſipere poſſe,* (ſeu *voluptatibus ſe inmergere,*) *& illis ſimul indulgere.* Et hoc eſt, quod Horatius ait lib. 4. *Carm. Od.* 12:

Miſce ſtultitiam conſiliis brevem:
Dulce eſt deſipere in loco.

Sic lib. 3. *Od.* 21:

Narratur & priſci Catonis
Saepe mero caluiſſe virtus.

Eo quoque pertinet dictum Ariſtippi Socratici, qui Venerem non indignam cenſebat, quae Sophicae Majeſtati jungeretur, *habeo, non habeor a Laide*, ut notum ex Cicer. 9. *ad Famil.* 26. & aliis. Poſt χρησθαι autem per ſyllabam θαι quam facile και excidere potuerit, quiſque videt. pro και τον δυνασθαι ſi qui maluerit σοφον δυνασθαι, haud intercedam. Nec enim multum recedit haec emendatio a vulgari lectione. Nihil tamen definio.

CAPUT XVII.

Unde Auctor Praefationis in librum ſecundum Diſtichorum Catonis Lucani bella Punica hauſiſſe videatur.

In Praefatione Libri 2. *Diſtichorum Moralium*, quae vulgo Dionyſio Catoni tribui novimus, inter alia leguntur:

Si Romana cupis & Punica noſcere bella,
Lucanum quaeras, qui Martis praelia dixit.

Quum de Punicis bellis a Lucano carmine celebratis nihil memoriae ſit proditum, ac plane haec inter Lucani opera ignorentur, interpretes plurimi *civica bella* repoſuere. Alius exiſtimat *Bella Punica* pro quibuſvis bellis gravibus uſurpaſſe ineptum hominem. Probarem, ſi liceret, nunc aliud ſuadet cerebellum meum, cui tamen ne nimis fidam. Videtur mihi Prooemii hujus architectus, quiſquis ſit, corrupto uſus fuiſſe Codice, ubi Lucani opus *de Bellis Punicis* inſcribebatur. Ridebis fortaſſe. Sed audi. Id quo credam facit Manuſcriptus qui apud me eſt Lucani Codex, in quo vel bis clariſſime ſcriptum, *Lucani liber de Bellis Punicis*, & *Lucanus de Bellis Punicis*. Titulus nempe primitus fuerat, *Lucanus de Bellis Civicis*. Inde facile ſciolus aliquis *L. de B. Punicis* effingere potuit, atque ita vitium in alios deinceps libros inrepſit. Idque unicum ſufficere poſſet, niſi plura ſubpeterent, demonſtrando, alicui aevi ſerioris homini praefationem eam, ſicut & alias, deberi, neque ab ipſo Diſtichorum auctore profectam, quod, praeter ceteros, opinatus fuit Jo. Lomeier. Diſſert. *de ſeptem Graeciae ſapientibus*, quae in Decade 1 *Diſſertationum* ejus *Philologicarum* conparet octava.

CA-

CAPUT XVIII.

Ulpianus geminis locis tentatus.

Corrupta ſunt Ulpiani illa Tit. 20. §. 10: *ſed Divus Auguſtus Marcus conſtituit, ut filius familiae miles de eo peculio, quod in caſtris adquiſivit, teſtamentum facere poſſit.* Neque enim (uti recte Schulting. *in Juriſpr. Antejuſtin.* ad h. l.) *Marcus, ſive Marcus Antoninus filiisfamilias jus de peculio caſtrenſi teſtandi dedit: ſed Auguſtus, Nerva, Trajanus, Hadrianuſque.* Addit dein Vir Cl. non poſſe cum Galvano pro *Marcus* reponi *Magnus*, quod Auguſtus titulum iſtum nunquam ſibi adrogaverit. Ipſe itaque, cum Cujacio, verbum hoc ſupereſſe & adeo expungendum judicat. Sed quam periculoſa haec ſit criſis, omnes haud dubie noverint. Malim equidem putare, ex ſcripturae conpendio exortum vitium, & olim ſic fuiſſe, *D. Aug. In.* quae *Divus Auguſtus Imperator* cum denotarent, a feſtinanti, aut rudi librario, *in D. Aug. Marcus* conmutata. Et hoc quidem prorſus veri ſimile. At quid tum feceris Ulpiani noſtri verbis in l. 1. pr. *de teſt. milit.?* ubi ait: *militibus liberam teſtamenti factionem primus quidem Divus Julius Caeſar conceſſit: ſed ea conceſſio temporalis erat. Poſtea vero primus Divus Titus dedit.* Expediant Eruditiores. Forte pro *Divus Titus* legendum, *Divus Filius.* Facillimus ſiglarum error. conf. princ. Inſt. *quib. non eſt perm. fac. teſt.* Alia omitto, nam ſatis hoc egimus.

CAPUT XIX.

Juſtinus ter. Capitolinus & Sulpiciae Satyra ſemel emendantur.

Juſtinus lib. 1. Cap. 8: *itaque Cyrus trajectis copiis, cum aliquantiſper in Schytiam proceſſiſſet, caſtra metatus eſt. Dein poſtera die, ſimulato metu, quaſi refugiens caſtra deſeruiſſet, ita vini affatim, & ea quae epulis erant neceſſaria reliquit.* Legendum utique, *quaſi refugiens caſtra deſeruit, & ita vini affat.* Sic non opus, ut ex quibusdam Editionibus *cum* intrudamus, violenter prorſus *ita* expunčto. Firmant, quod poſtea intellexi indicio Cl. Weſſelingii, duo Manuſcripti Codices Bibliothecae Franequeranae, in quibus *caſtra deſeruit, ſed ita.* Quod perinde. Parili vero vitio laborat Jul. Capitolinus *in Antonino Pio* Cap. 7. *balneum quo uſus fuiſſet, ſine mercede populo exhibuit.* Lego, *balneum quo uſus fuit, ſed ſine mercede populo exhibuit.* Similiter peccatum in Sulpiciae *Satyra*, ℣. 49:

Quos inter priſci ſententia dia Catonis
Scire adeo magni feciſſet. Utrumne ſecundis,
An magis adverſis ſtaret Romana propago?

Emendo, *ſcire adeo magni fecit. Sed utr. ſec.* &c. Confer, obſecro, quae antecedunt & conſequuntur, idemque opinaberis. Tale etiam quid olim inſederat Gellio lib. 1. Cap. 3: *ſic mihi & judicis & amici officium in re tanta ſalvum fuiſſet. Hanc capio ex eo facto moleſtiam.* Recte Viri Docti reſtituunt, *ſalvum fuit. Sed hanc cap.*

Juſtinus porro lib. 2. Cap. 2. de Schytis ait: *lacte & melle veſcuntur. lanae iis uſus ac veſtium ignotus: & quamquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur. Haec continentia illis*

illis morum quoque juſtitiam edidit. Ultimum *et*, quum ſententiae obſtet, plerique cum Salmaſio in exſilium abigunt. Malim verba tranſpoſuiſſe: *lacte & melle veſcuntur, & quamqudm continuis frigoribus urantur, lanae iis uſus ac veſtium ignotus. Pellibus tamen ferinis utuntur.* Sic ſenſus conſtabit, nec pro *tamen*, quod in quibusdam eſt *tantum* ſubſtituamus, neceſſe erit. Licet jam olim ita legerit Regino, Abbas Prumienſis, *in Chronico* ad Ann. 889. qui haec & plura alia ex Juſtino verbotenus exſcripſit.

Lib. 37. Cap. 2: *Aſſuetus feras curſu aut fugare, aut perſequi, cum quibusdam etiam viribus congredi.* Cum *fugare* & *perſequi* hic non ſatis recte ſibi opponantur, Freinshemius corrigebat *fugere.* Sed id non adeo feciſſet ad fortitudinem Mithridatis oſtentandam, quam tamen extollere Juſtino animus erat. An pro *fugare* legendum *figere?* id certe proprium in venationibus verbum. Quod nemo, niſi plane rudis, ignoraverit.

CAPUT XX.

Binis locis Spartianus reſtitutus.

Aelius Spartianus *in Adriano* C. 2. vulgo legitur: *Tribunus plebis factus eſt Candido & Quadrato iterum Coſſ. in quo magiſtratu ad perpetuam tribunitiam poteſtatem omen ſibi factum adſerit, quod penulas amiſerit, quibus uti tribuni plebis pluviae tempore ſolebant, Imperatores autem nunquam. Unde hodieque Imperatores ſine penulis a togatis videntur.* Verba ea *a togatis* tam miſere hic frigent, ut duplici toga indigere videantur. Tu, ſi eorum miſerearis, ſic indue: *ſine penulis at togati vid.* ſcriptum fuerat *a Togati*, una enim paullo majori duae ſequentes ſeſe literae in MSS exprimi frequenter ſolebant. Alius vero librarius

Bayerische Staatsbibliothek München

brarius inprudenter id pro *a togati* excepit, cumque hoc concoquere nequiret, ſcripſit *a togatis.* Scio exiſtimare Doctos Viros, Spartianum hic reſpicere ad officium matutinae ſalutationis, quod nullo alio in habitu, quam toga, perficiebatur. Praeterquam vero quod ex nexu pateat, eum agere non de veſtibus privatorum, ſed Imperatorum, quos nunquàm ſuo tempore penula indutos, at togatos fuiſſe memorat; inſuper Spartiano heic loci mens non erat indicare, qua veſte Imperatores domi a privatis viderentur, ſed eos, cum pluviae tempore exirent, non penulatos unquam, at togatos ſemper conſpici, ex illo, quod retulerat Adriano olim eveniſſe.

Idem Spartianus Cap. 7: *Antiochenſes inter haec ita odio habuit, ut Syriam a Phoenice ſeparare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur. Moverunt ea tempeſtate & Judaei bellum, quod vetabantur mutilare genitalia. Sed in monte Caſio, quum videndi ſolis ortus gratia adſcendiſſet, imbre orto, fulmen decidens hoſtiam & victimarium ſacrificanti adflavit.* Recte jam monuit Inconparabilis Salmaſius, illud *ſed* nullo modo anterioribus cohaerere. Legendum puto, *& in monte Caſ.* aut perverſus ſententiae ordo, & verba ſic conſtituenda: —— *ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur. Sed in monte Caſio, quum videndi ſolis ortus gratia nocte adſcendiſſet, imbre orto, fulmen decidens hoſtiam & victimarium ſacrificanti adflavit. Moverunt ea tempeſtate & Judaei bellum* cet. Senſus fuerit: voluiſſe odio Antiochenorum Adrianum Syriam & Phoenicen ſeparare, ne tot urbium Antiochia eſſet metropolis. Sed eo a propoſito deterritum per prodigium, quod ipſi in monte Caſio obvenerat, ut fulmen nempe hoſtiam & victimarium ſacrificanti adureret, adeoque Jovem Caſium conſiliis ſuis adverſari opinatum, quae agitaverat non perfeciſſe.

C A-

CAPUT XXI.

Capitolinus bis emendatus. Victus id eſt convictus. In Cypriano adſerta vetus lectio.

Capitolinus *in vita Antonini* C. 5. *in Achaia etiam atque Aegypto rebelliones repreſſit. Alanos ſaepe molientes refrenavit.* Reſcribo, *Alanos ſaepe moventes refr.* Et quid ni melius? quiſque videt.

Idem *in Pertinace* C. 7. *cenſus retractari juſſit: delatores vinctos graviter puniri juſſit, & tamen mollius quam priores Imperatores unicuique aetati, ſi delationem incurreret, poenam ſtatuens.* Maximus Caſaubonus pro *vinctos* legit *certos.* Alius aliter. Vir Doctus *in Obſ. Miſc.* Vol. 4. p. 224. tentabat *cunctos.* Miror neminem voluiſſe *victos*, id eſt, convictos, quod a manu Capitolini eſſe nullus dubito, l. 244. D. *de Verb. Sign: ſimul atque enim victus quis eſt ejus maleficii, cujus poena eſt ſtatuta, ſtatim ea debetur.* Paſſim verba haec *vincere* & *vincire*, *victus* ac *vinctus* in ſcriptis libris confundi novimus. Ita apud Cyprianum in libello *de lapſis: nec vinci a ſeculo poſſet, qui, unde vinceretur in ſeculo, non haberet, ſequeretur Dominum ſolutus & liber, ut Apoſtoli & ſub Apoſtolis multi.* Celeb. Gronovius malebat *unde vinciretur.* Cap. 3. *Obſervat. ad Script. Eccleſ.* At vero, pace Tanti Herois Manium, vulgatam ego retinuerim; dixerat enim, *nec vinci a ſeculo poſſet*, non *vinciri.* Nec te cum Summo Viro voces iſtae *ſolutus* & *liber* turbaverint. Opponit eas *victo*; qui namque victus eſt, alienae poteſtati ſubeſt, & proinde non ſui juris, neque ſolutus & liber, *ᾧ γαρ τις ἥττηται, τουτῳ και δεδουλωται*, ut inquit D. Petrus *Epiſt.* 2. C. 2. Si quis ejusmodi animadvertiſſe nimis forte leve judicaverit, extricabunt illum politiſſimi Mureti verba l. 3. *Var.*

Lect. C. 2: *in bonis libris ut ne qua vel minima macula inſit, opera danda eſt.* Et l. 7. C. XI: *nulla eſt tam parva macula, quam non pulchrum ſit e bonis libris eluere.* Conf. P. Petit. *Obſ. Miſc.* l. 2. C. 4.

CAPUT XXII.

Curtius leviter emendatus. Sidera non recte pro ſole dicuntur.

Exiguum hoc Capite ſed turpe tamen Curtii loco mendum eximam. Verba ejus lib. 7. C. 4. §. 27. ſeqq. ſic circumferuntur: *Magnam deinde partem ejusdem terrae* (Bactrianae) *ſteriles arenae tenent: ſqualida ſiccitate regio non hominem, non frugem alit: quum vero venti a Pontico mari ſpirant, quidquid ſabuli in campis jacet, converrunt. Quod ubi cumulatum eſt, magnorum collium procul ſpecies eſt, omniaque priſtini itineris veſtigia intereunt. Itaque qui transeunt campos, navigantium modo noctu ſidera obſervant, ad quorum curſum iter dirigunt, & propemodum clarior eſt noctis umbra, quam lux. Ergo* interdiu *invia eſt regio, quia nec veſtigium quod ſequantur, inveniunt; & nitor* ſiderum *caligine abſconditur.* Omnia haec adſcribere debui, ut vulnus dilucide magis adpareret. Quid enim ſidera interdiu? de die credo apud Bactrianos ſidera viſebantur. Vah quantum & quale miraculum! quod nullo tamen teſte, ut opinor, ſe probare poterit. Quum vero pervulgatus & omnibus prudentioribus receptus canon ſit, miracula ſine neceſſitate non eſſe multiplicanda, quid ni & hoc ſuo merito propere in exſilium mittamus? nullibi autem tam grande oſtentum fuerit, modo pro *interdiu* leviſſima mutatione *interdum* reponatur. Interdum, inquit, regio ea plane eſt invia, quod venti a Pontico mari ſpirantes arenas cumulent, ac veſtigia confundant,

fundant, at noctu ſidera ſaepe per nimias tenebras abſcondantur, ut adeo nec ſecundum eorum curſum iter ſuum dirigere tranſeuntibus liceat. Novi eſſe, qui *ſidera* hic per *ſolem* interpretetur. Sed millies quidem hac notione *ſidus* frequentatur. Neutiquam vero *ſidera* pro *ſole* ſimpliciter ponuntur, confer. quae notat Cl. Burmann. *ad Lucan.* lib. I. ℣. 15.

CAPUT XXIII.

Theophilus Inſtitutionum Paraphraſtes correctus duobus locis.

Eſt ſane Theophili *Graeca Inſtitutionum Paraphraſis* jurisprudentiae Romanae ſtudioſis opus quantivis pretii, ut quae in multis Latinum textum non mediocriter illuſtrat, & caſibus ſingulis plerumque facti ſpeciebus adplicandis, quae alioquin valde obſcura eſſent, dilucide ſatisque feliciter explicat. Eoque tutius ei fides haberi poteſt, quod auctor illius Juſtiniani coaetaneus fuerit, ipſiſque Inſtitutionibus ejusdem Imperatoris auctoritate cum Triboniano & Dorotheo manus admoverit, id quod, praeter alios, evidenter evicit Vir Cl. Jo. Henr. Mylius in peculiari Diſſertatione, cui titulus, *Hiſtoria Theophili.* Hujus autem Paraphraſtae ad §. 2. *Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civ.* haec leguntur: ει γαρ τις εθελει τȣ Σολωνος του των Αθηναιων νομοθετου, η τȣ Δρακοντος τȣ των λακεδαιμονιων *jus civile Athenienſium vel Lacedaemoniorum*, τουτεστι πολιτικον νομιμον των Αθηναιων, η λακεδαιμονιων αποκαλεσαι, ȣκ αν διαμαρτοι. Sed turpe verbis hiſce ineſt vitium. Quis enim Draconem Lacedaemoniorum Legiſlatorem unquam audivit? Recteque id jam Viglius & Nannius notarunt. Hic vero ſic emendabat, και τȣ Δρακοντος, η λυκουργȣ τȣ των λακεδ. Quod mirum fuerit, Graecum hominem in rebus Graecis tam

turpiter erraſſe, quum recte ſe haberet textus Latinus, quem transferebat. At criſis iſta Nannii audacior eſt, quam ut ego eam pro vera lectione recipere audeam, quae mea eſt religio. Scilicet! Sed ſerio. En tibi levius forte remedium! η τȣ Δρακοντος, η τȣ των λακεδ. &c Verte: *ſi quis enim velit leges Solonis, Athenienſium legiſlatoris, aut Draconis, vel Lacedaemoniorum* (ſubple *legiſlatoris*,) *jus Civile Athenienſium vel Lacedaemoniorum vocare, non peccaverit*. Poſt η τȣ itaque ex praecedenti membro νομοθετου erit ſubaudiendum, ut paſſim veteres. Quod quem fugit? Lycurgi mentionem neglexiſſe videtur Theophilus, quia nec illius Latinus textus meminerat. Sed vid. Cel. Wieling. *Obſervat. ad Inſtit. h. t.*

Idem ad § 1. *Inſtit. de Verbor. Obligat;* επι δε τοις βερβις, παλαι τοιαυτα παραδεδοται ρηματα, δι' ὧν αι επερωτησεις εγινοντο. *Spondes? ſpondeo. Promittis? promitto. Fidepromittis? fidepromitto. Fidejubes? fidejubeo. Dabis? dabo. Facies? faciam.* αλλα το μεν σπονδες; σπονδεο, ου μεταφραζεται ἑλληνιστι, τα δε ἑτερα μεταφραζεται. προμιττις, προμιττο, τȣτεστι ὁμολογεις; ὁμολογω. φιδεπρομιττις, φιδεπρομιττο, τȣτεστι πιστικελευεις; πιστικελευω δαβις; δαβο, τȣτεστι δωσεις; δωσω, φακιες; φακιαμ, τȣτεστι ποιησεις; ποιησω. Verba, *ſpondes? ſpondeo*, commodam in Graeca lingua recipere interpretationem negaverat. Cetera vero poſſe adfirmat. Quae dein ſingula ut Graece verti poſſint recenſet. Aſt in verſione ipſa omittuntur verba, *fidejubes? fidejubeo.* Contra vero, *fidepromittis? fidepromitto*, redduntur πιστικελευεις; πιστικελευω; quum tamen non, *fidepromittis? fidepromitto*, at potius, *fidejubes? fidejubeo*, ſignificent. Quis diligentem Interpretem hic adeo ſupinum fuiſſe crediderit? non amo equidem integra verba veterum locis, etiamſi deſperatis, inferere, nec diffiteor me facere cum Viro Docto Vol. 4. *Obſ. Miſc.* p. 35. quando ait, *velle conjectura lacu-*

lacunas ſupplere, quarum fines neque menſurae cognitae ſunt, non ſolummodo arbitrarium & futile eſſe, ſed ipſas conjecturas, ſi inſpiciatur MS, evidenter eſſe falſas. Sed diverſum longe eſſe arbitror, mutilis locis medicinam velle facere, ubi dubium eſt, quae auctor ſcripſerit, & aliis aliiſque verbis uti potuerit; aut ubi ex nexu verba ſcriptoris quae deſiderantur ſponte quaſi ſe nobis obferunt, ac genuinum emendationis fontem oſtendunt. Et talis profecto loci Theophilaei ratio eſt. Quis etenim non videt ex anterioribus hoc pacto ſubplendum? φιδεπρομιττις; φιδεπρομιττο, τουτεστι πιστομολογεις; πιστομολογω. φιδειυβεις; φιδειυβεο, τυτεστι πιστεικελευεις; πιστεικελευω. Sic ut reponatur, ſenſus clamitat, & ipſe auctor admonet.

CAPUT XXIV.

Quid jus Quiritium, & ut a jure Civitatis fuerit diſtinctum. Aliaque plura.

Nulla fere Antiquitatis Romanae pars Eruditorum adeo exercuit ingenia, & hodiedum magis in incerto eſt, quam *jus Quiritium*. Quid enim jus iſtud conprehenderit, & quo pacto a jure Civitatis diverſum fuerit, Viri etiam nunc

Egregii certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Sunt, qui multo deterius jure Civitatis fuiſſe exiſtiment, eoſque inter Jo. Bodinus *Meth. ad fac. Hiſtor. cognit.* p. m. 159. & Alexander ab Alex. l. 4. *Gen. Dier.* C. x p. 202. Alii multo quid praeſtantius autumant. Plures Civitatem Romanam ad ea quae juris ſunt Publici, jus vero Quiritium ad Privati juris quae erant pertinuiſſe contendunt. Ita Sigonius, Spanhemius, Heineccius, Schultingius, Longolius *ad Plinii Epiſt.* &c. Alii aliter. Omnes quos erudite re-

refellit Jo. Henr. Mylius V. C. Diſſert. *de jure Quiritium*, inſerta *Opuſculis* ejus *Academicis*. Sibi vero nondum liquere ingenue prorſus confitetur. Paratior idcirco nobis erit venia, ſi ad eumdem erroris lapidem cum tot Viris Summis forſitan inpingamus. Sed ad rem.

Primum itaque mihi quemvis facile conceſſurum puto, *jus Quiritium*, proprie ſic dictum, fuiſſe Jus Civitatis optimum maximum, omnibus privilegiis, Quiritibus ſive civibus ingenuis, id eſt, Romae natis & domicilium habentibus, tantum propriis, munitum. Idque ipſa ſatis evincit denominatio. Quid enim aliud eſt *Jus Quiritium*, quam quo gaudent *Quirites*, ſeu Gens Quirini, rerum domina. Unde & Magiſtratus Populum Romanum in concionibus *Quiritium* nomine ſalutare ſolebant. hinc & formulae illae, *porro Quirites! veſtram fidem Quirites!* aliaque, de quibus adi, ſi ſubet, Cl. Arntzen. Diſſert. *de Civitate Pauli*, Cap. ult. Itidem nec ullo negotio cuilibet perſuaſurum me arbitror, non omnes, qui Cives Romani cluebant, eodem jure gaviſos fuiſſe, ſed in multis a ſe invicem diverſos. Quis namque, poſt Sigonium & Spanhemium, in *Colonias Romanas* miſſos deteriori Civitatis jure, atque Quirites reliqui, uſos, amplius dubitaverit? quid notius, quam *Municipiorum* legibus viventes Cives Romanos audiiſſe, ſed non eodem, quo in Urbe Domina viventes, Jure? inde M. Scaurus ad Ciceronis avum, Municipem Arpinatem, inquiebat: *Utinam M. Cicero iſto animo atque virtute in ſumma republica nobiſcum verſari, quam in municipali vivere maluiſſes!* referente Marco Tullio, 3. *de Legib.* 16. hinc quoque Municipiorum ſicuti & Coloniarum juribus utentes generali P*eregrinorum* adpellatione continebantur, V. laudatiſſ. Mylii Diſſ. *de Praet. Peregr.* §. 5. Si itaque in Colonia Romana habitanti Jus Civitatis plenum, civibus tantum inge-

ge-

genuis proprium, concederetur; quid tum? non poterat dici Jus Civitatis, quod dudum habuerat, inpetraſſe. Quid ergo? *Jus Quiritium.* Pari modo, ſi in municipio vivens, per negotia ſorte ſua, aliave de cauſſa, Romam migrare inpediretur, & tamen ille ſpeciali privilegio Jus Civitatis optimum inpetraret, recte *Jure Quiritium* donatus dici poterat. Idque eo ſaepius expetiiſſe municipes credibile eſt, quod poſterioribus temporibus adeo obliterata eſſent Municipiorum jura, ut iis per ignorantiam uti nequirent, Gell. 16. *Noct. Att.* Cap. 13. *Jus* itaque *Quiritium* erat optimum Civitatis Jus, adeoque etiam Jus Quiritium revera conprehendit Jus Civitatis, aſt non viciſſim omne Jus Civitatis continet Jus Quiritium. Et eo ſenſu potuit Jus iſtud cum Civitate & confundi, & ab eadem etiam diſtingui. Ita, verbi gratia, ſervi ſollemniter manumiſſi fiebant quidem Cives Romani. Sed non poterant dici *Jus Quiritium* habere; nam in multis a reliquis civibus diſcrepabant. Si vero ab Imperatore jura inpetrarent civium legitimorum, ut nempe natalibus reſtituerentur, jam fiebant Quirites, & Civitatem plenam adeoque & Quiritium jus adipiſcebantur. Ita Plinius, quando jus Quiritium petit in Epiſtolis ſuis ad Trajanum lib. x. libertis quibuſdam, non aliud ipſis petit, quam jus Civitatis optimum & plenum ingenuorum civium; quare & addere ſolet, ſe iſtud rogantibus patronis petere; quod hoc inpetrato per omnia liberti ingenuis exaequarentur, nec ad ſucceſſionem in bona eorum patroni admitterentur. Quoniam itaque patronorum cauſſa vertebatur, ideo & eorum conſenſus requirebatur, nec enim vult Princeps cuiquam hominum detrahi jus ſuum, §. 2. *Inſt. de his qui ſui vel al. ſunt jur.* conf. Tit. D. *de natal. reſtit.* Similiter multi erant, qui jus quidem Civitatis inpetraverant, deſtituebantur autem Juribus Cognationum, *quibus non inpetratis* (verba

 ſunt

ſunt Plinii *Panegyr.* Cap. 37.) *alieniſſimi habebantur, quod ad ſucceſſionem, quibus conjunctiſſimi fuerant.* Non itaque tales per omnia habebant Jus Quiritium. Quatenus enim ſimili erant jure cum reliquis optimae, ut ſic loquar, notae civibus, eatenus quae peragebant ſolis civibus propria, *e Jure Quiritium* dici poterant peragere; quod ad jura vero Cognationum non erant cives. Iis itaque inpetratis, jam demum praeſtantiſſimo Civitatis jure, quod haud aliud, quam Jus Quiritium, gaudere incipiebant. Sic itaque videmus, quo pacto, qui Jus Quiritium inpetrabat, potuerit dici Jus Civitatis accepiſſe. Nam talis revera gloriabatur jure Civitatis excellentiſſimo, & *Romanus Quiris* erat, ut eſt apud Lucan. l. 2. ℣. 386. quando ait de Catone, —— —— *Romani more Quiritis Induxiſſe togam.* Niſi malis ibi *Romano* legere. Alioquin *Jus Quiritium Romanorum* eſt apud Theophil. ad §. ult. *Inſt. de libertin.* & *Populus Romanus Quirites* in Gellii l. 1. C. 12. Sed vid. Cl. Burmann. Haec enim nunc non ago. Sic & contra qui Civitate donabatur, eidem Jus Quiritium datum eſſe dici poterat, ſi nempe, uti jam ſaepius, multorum forte taedio, inculcavimus, optimum iſtud & Quiritibus proprium Civitatis jus adquiſiviſſet. Haud aliter. Sic Plinius libertis plene manumiſſis, adeoque jam civibus, potuit Trajanum rogare Jus Quiritium, quo civibus ingenuis & natis Quiritibus exaequarentur, & pariter aliis, ſed nondum civibus, ab eodem Imperatore petere Jus Civitatis. Ita *Jus Quiritium* cum *Jure Romano* confundit Ulpianus in l. 1. §. 2. *de rei vindic.* confundunt & alii. Quod fruſtra Cl. Mylium turbavit, uti ex iis, quae adhucdum diſputavimus, cuivis non plane caecutienti ſatis, ut puto, eſt conſpicuum. Sic itaque mihi, ut vela contraham, videtur: quicumque quolibet etiam jure civis erat, *jus Civitatis* habebat. Aſt qui optimo & pleniſſimo, *jus* de-

demum *Quiritium*. Seu, omnis Jure Quiritium gaudens, Civitatem, ſed non omnis Civitate gaudens, Jus Quiritium habebat. Haec paullo uberius ut explicarem, adegit & materiae difficultas, & tot Doctiſſimorum Virorum diſſenſus.

CAPUT XXV.

Eutropius vindicatus & illuſtratus. Juſtinus explicitus. Nepos pro ſororis nepote. Nepos ex fratre &c. Nepos filius.

Eutropii lib. 7. *Breviar. Hiſt. Rom.* Cap. 1. leguntur: *miſſi ad eum* (Antonium) *perſequendum duo Coſſ. Panſa & Hirtius, & Octavianus adoleſcens annos* x & VIII *natus, Caeſaris nepos.* Doctiſſ. Cellarius in notis ad h. l. pro *Caeſaris nepos* reſcribere tentat *ſororis Caeſaris nepos*, quod Caeſar Octaviani fuerit, non avus, ſed avunculus major, quo modo etiam, vel *ex ſorore*, legiſſe videtur Magnus Caſaubonus, dum ad Spartiani *in Adriano* C. 2. verba, *denique ſuffragante Sura ad amicitiam Trajani rediit, nepte per ſororem Trajani uxore accepta*, haec commentatur: *ſic aliquoties in his libris capiuntur nepotis & neptis appellationes: & in Liviana Epitome atque Eutropio, qui inde habet, Octavius C. Caeſaris ex ſorore nepos dicitur.* Sed fortaſſe recepta lectio non fuerat mutanda. *Nepos* hic ab Eutropio ſimpliciter pro *ſororis nepote*, reſpectu avunculi majoris, ponitur. Ut & interpretandus, qui Eutropio multo fuit antiquior, Juſtinus lib. 39. Cap. 2. ubi agit de reconciliatione Ptolomaei Phyſconis, Aegypti regis, cum ſorore ſua Cleopatra, qui, ut Alexandrum regem Syriae, quem ipſe adverſus Demetrium ſubornaverat, ſed deinceps ſe contemnentem, regno dejiceret, Grypo, Cleopatrae ſororis ſuae ex filia, Demetrii olim uxore, nepoti

Try-

Tryphaenam filiam in matrimonium & ingentia auxilia miſit. Quem Grypum Ptolomaei hujus *nepotem* vocat Juſtinus: *mittit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphaenam Grypo nupturam, ut populos in auxilium nepotis non ſacietate tantum belli, verum & adfinitate ſua ſollicitaret.* Ptolomaeus ſcilicet Philometor frater fuit Ptolomaei Phyſconis, & uxorem duxit ſororem Cleopatram, hanc autem Alexandro (de quo Juſtin. l. 35. Auctor. l. I. *Machab.* C. x. & xI.) abductam dedit Demetrio, ea vero Demetrio peperit Seleucum & Grypum. Ita ut, cum a Juſtino Grypus Ptolomaei Phyſconis *nepos* dicitur, hoc non ſit intelligendum, ac ſi Phyſcon Grypi fuerit avus; nam Cleopatrae uxoris Philometoris filia jam nupſerat Demetrio, antequam mater a Ptolomaeo Phyſcone, Philometoris fratre & ſucceſſore, in matrimonium fuerat adſcita. Sed quod Phyſcon eſſet avunculus major Grypi. Haec omnia novimus ex Hiſtoriis. Et ſane haud parum concinnius *nepos* qui ex filio aut filia fratris ſororiſve, quam qui ex ſorore fratreve eſt procreatus, dici poteſt; quo modo tamen & apud ſcriptores aetatis ſerioris frequenter uſurpatum invenias, V. Doctiſſ. Femina Anna Fabri *ad Eutrop.* l. 9. C. 22. Non multo elegantius loquuntur, qui ex ſorore ſive fratre natum *nepotem ex fratre*, vel *ſorore*, ſeu *fratris* & *ſororis* adpellitant, qua de notione adeundus Cellar. *Cur. Poſt.* C. 5. & C. 6. Schulting. *ad Ulpian.* Tit. xI. §. 4. & *Paul.* l. 4. *Sentent.* T. xI. §. 3. Libet hic addere, nam quid prohibet? ſingularem τȣ *nepotis* uſum apud Horat. I. *Sat.* 4. ℣. 50:

—— —— —— at pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos *inſanus amica*
Filius, *uxorem grandi cum dote recuſet.*

Ubi *nepotem filium* pro luxurioſo & bona paterna diſſipanti adhibet, an alibi ita obvia conjunctione, ſubdubito. CA-

CAPUT XXVI.

Eutropius emendatus & vindicatus. Metus & motus confuſi. Tamen abundat.

Eutropium nondum deſero. lib. 4. C. 16. Sic editur: *nec multo poſt Q. quoque Caepio ad idem bellum miſſus eſt: quod quidam Viriatus contra Romanos in Luſitania gerebat. Quo metu Viriatus a ſuis interfectus eſt.* legendum, ſine ulla haeſitatione, *quo motu Vir.* firmat ipſe; nam addit, *cum quatuordecim annis Hiſpanias adverſum Romanos moviſſet.* Et ſic loqui amat. l. 6. C. 5: *iiſdem temporibus conſul M. Aemilius Lepidus, Catuli collega, bellum civile voluit* conmovere; *intra unam tamen aeſtatem* motus *ejus obpreſſus eſt.* Flor. l. 2. C. 16: *fuiſſet & cum omnibus Celtiberis, niſi dux illius motus initio belli obpreſſus fuiſſet.* Similis vocum confuſio apud Ciceron. 2. *in Catil.* 2. Petron. *Satyr.* C. 12. & alios ſaepe.

Lib. 6. C. x. *illic Apolloniam evertit* (loquitur de Lucullo, qui Macedoniam adminiſtrabat) *Calatim, Parthenopolim, Tomos, Hiſtrum, Burziaonem cepit, belloque confecto Romam rediit: Lucullus, qui contra Mithridatem pugnaverat, majori gloria, cum tantorum regnorum victor rediiſſet.* Annam Fabri illud *tamen* offendit, reponitque *ambo tandem. Niſi malis,* addit, *tamen hic interpretari tandem.* An tranſponenda potius Eutropii verba? *belloque confecto Romam rediit. Lucullus qui contra Mithridatem pugnaverat, majori gloria, cum tantorum regnorum victor rediiſſet. Ambo tamen triumphaverunt.* Hoc admiſſo, ſenſus eſt apertus, nec ulteriori explicatione indiget. Quid ſi dixeris gloſſa locum laborare? ut ad verba, *Lucullus qui contra Mithridatem pugnaverat, majori gloria* cet. in margine fuerit adſcriptum, *ambo tamen triumpha-*

phaverunt, ac ſi dicere vellet, quamvis Eutropius ſcribat, Lucullum qui adminiſtravit bellum Mithridaticum, majori cum gloria, quam alter, qui Macedoniae praeerat, Romam rediſſe, ambo tamen triumpharunt. Sed dum haec ſcribo, incidit, num forte *tamen* abundaret, ut ſaepe alias, V. *ad Collat. leg. Moſaic. & Rom.* quibus addi poteſt cumulus exemplorum apud Iſaac. Touſſaint, quem laudabam ante, *in Conjectur. ad Lactant. de mort. Perſec.* C. 12. atque ita nec ulla emendatione indigeremus.

Lib. 9. C. 24: *Galerius Maximianus primo adverſus Narſeum adverſum praelium, exin ſecundum habuit.* Erudit. Cellarius, cui ſe libenter adſentiri ſcribit Cl. Havercampus, *τα exin ſecundum*, ut ſpuria & a gloſſatoris manu, delet, quod nullo modo ſequentibus adhaereant. Sed aut ego fallor, aut verba ea omnino ſunt retinenda. Adjuvat quod praeceſſerat *primo*. primo, dicit, Galerius Maximianus infelix praelium conmiſit, dein autem felix & ſecundum. Jam vero, ut contigerat, primum infelix praelium narrat, at mox Cap. 25. alterum & proſperum, quo Galerius, pulſo Narſeo, uxoribus, cum liberis & ſororibus ejus captis, victoriam obtinuit. Adeoque recte Vinetus verba iſta retinuit, fruſtra eo nomine a Cellario reprehenſus.

CAPUT XXVII.

Quaedam de Diſtichis Dionyſio Catoni tribui ſolitis. Eadem aliquoties tentata. Fraudes librariorum. Et alia.

Egregia ſanequam ſunt illa Dionyſii Catonis quae dicuntur Diſticha *de moribus ad filium*, & haud pauca conplectuntur, quae a Chriſtiano ſcriptore profecta dicas. Nec idcirco tamen auctorem eorum violenta manu Sacris noſtris vindicaverim, & invito pror-

prorſus proſelyto religionem Chriſtianam inportunus Zelotes augere ſtuduerim, quam nunquam forte amplexus fuit. Quid ni enim ita argumentando, Platonem, alioſque bene multos Philoſophos, facili negotio Chriſtianos reddere liceat, ut quorum plurimae ſententiae cum Sacris foliis optime conveniunt, in aliis tamen maximopere ab iiſdem divortium faciunt? Et quis quaeſo non credat, quum libri hi jam olim in Scholis juventuti fuerint expoſiti, ludimagiſtros, poſteriorum praeſertim temporum, ſtulta quadam ſuperſtitione ductos, multa, paganiſmum, pro captu eorum, redolentia, ſecaſſe, conmutaſſe, & alia paſſim ſubſtituiſſe? Credebant ſcilicet indecorum & inpium, (talia tum erant ſecula) aurea iſta quidem Diſticha, a gentilium tamen opinionibus non ſemper recedentia, tenerae juventuti tradere; qua propter, quantum ullo modo potuerint, fidei Chriſtianae haud abſona reddere voluiſſe videntur. Quis unquam ſibi perſuaſerit, hominem gentilem, de rebus Divinis loquentem, unius ubique *Dei* mentionem feciſſe? credat forte verpus aliquis. Non ego. Una alterave vice, & ſaepius forte, alios ita loqui haud nego. Dudum me id docuit Celeb. Burmann. *ad Faliſci Cyneg.* ỿ. 350. pluresque Eruditorum, quos ſciens omitto. Non tamen hoc illis perpetuum fuiſſe quiſpiam dixerit. Sic ex gr. lib. 1. *Diſt.* 32. potuit legi, *Incuſare Deos noli.* pro quo hodie viſimus *Deum.* Niſi per *Deum* velis intelligere Fortunam, cujus eadem ferme in re meminit l. 4. *Diſt.* 3. Atque adeo ſignificatione iſta *Deus* hic poſſet retineri, de qua notione V. Barth. *ad Grat.* cit. loc. & Senec. *in Thyeſte* ỿ. 619. ita & l. 2. *D.* 2. forſan olim lectitatum fuit, *Mitte arcana Deum.* hodie *Dei.* πολυθεϊαν enim diſerte prodit eod. l. 2. *D.* 27.

Illum *imitare* Deum, *partem qui ſpectat utramque.*

- Sic *lib.* 4. *Diſt.* 46. primitus aliter ſe habuiſſe pene jurare auſim. Legimus jam:

Morte

Morte repentina noli gaudere malorum,
Felices obeunt, quorum ſine crimine vita eſt.

Videtur Auctor ſcripſiſſe, *Et tales obeunt.* Senſus eſt: non eſſe gaudendum morte repentina pravorum hominum, quod & tales, qui recte vitam inſtituunt, quotidie mori videamus. Simile quid habes apud Horat. *Carmin.* l. 2. *Od.* 14:

Eheu fugaces, Poſtume, Poſtume,
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis & inſtanti ſenectae
Adferet, indomitaeque morti.

& l. 4. *Od.* 7.

Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria;
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Reſtituet pietas.

Adjuvat conjecturam noſtram Planudis verſio, quam Eraſmus fruſtra redarguit. Alia taedii evitandi cauſſa tranſeo. At ne quis putet, inmerito librarios & ludimagiſtros criminum ejusmodi reos a me poſtulari, inſpiciat tantum Cl. Hadr. Relandi Praefationem *in Epicteti Enchiridion* p. ſi numeres, 5. 6. 7. ubi refert, in Codice Hafnienſi totum fere Epictetum ad Chriſtianam diſciplinam formatum, ubique eumdem θεον pro θεȣς ſubſtituiſſe, pro *Socrate*, *Paulum*, paſſimque talia. Sic totum Caput 29, quod ibi de vatibus & hariolis ageretur, idem ille Codex plane omiſit. Nec potuere tamen inepti homines commentis ſuis nugaciſſimis efficere, ut non ſaepe fraudes ſuas ipſi detexerint. Ita & in Catone haud pauca loca intacta reliquerunt, auctoris paganiſmum manifeſtiſſime arguentia. Sed diutius poſt Homerum, ut ajunt, Iliada non canimus, & in otio, quod eruditus Can-

negieteri

negieteri labor nobis hac in parte fecit, libenter adquieſcimus. Unum tantum addo, ſemper ea me fuiſſe opinione, horum Diſtichorum libros omnes eumdem auctorem minime habere, licet & ipſe nonnunquam brevitatis ergo ut ejusdem citaverim. Fecit, quo hoc credam, multorum Diſtichorum tautologia, quae ſane nimis frequens eſt, quam ut ſemper aut amanuenſibus aut ludimagiſtris tribui poſſe videatur. Id quod exempla abunde confirmaverint. Conſpirant ita 1. 22. cum 2. 3. 3. 23. & 4. 22. 1. 24. cum 2. 17. & 3. 22. 1. 27. & 3. 5. 1. 30. & 3. 8. 1. 4. & 4. 25. 1. 18. cum 2. 4. & 4. 26. 2. 6. & 4. 2. 1. 23. & 4. 3. 3. 15. & 4. 33. 2. 19. & 4. 16. Fecit & ſtili diverſitas, quae in multis perlucet. Fecerunt & Praefationes iſtae, quae (licet genuinas non eſſe facile conceſſerim) ſingulis libris ſunt adpoſitae, argumento, quod diverſorum auctorum libelli hi fuerint habiti; ſi unius enim ejusdemque omnes putaviſſent, una Praefatio cunctis, ut in aliis libris, ſufficere potuiſſet. Hae, inquam, & plures cauſſae fuerunt, ut opinatus ſim, (quo jure, quave injuria, aliorum Judicium eſto) primum Dionyſium Catonem, quis tamdem ille fuerit, Diſtichorum librum unum conpoſuiſſe. Alios deinde exemplum illius aemulatos, & in multis, uti fit, ſecutos fuiſſe. Cum vero libri hi, ut ſimilis argumenti, unum in volumen conjungerentur, hinc natum puto, ut diverſi foetus germani fuerint habiti, & unius titulus proprius omnium factus ſit communis. Solebant enim quae parilis erant argumenti ſcripta eodem volumine conprehendere librarii. *Unde facile factum* (ſunt Boxhornii verba Diſſ. *de Diſtich. Cat.*) *ut poſtrema opuſcula, non expreſſis auctorum nominibus, quem ad modum ea ſaepe in antiquis Codicibus praetermitti ſcimus, prioris operis ſcriptori ſint attributa.* Ut adeo non injuria Viri Docti ſuſpicentur, exinde Senecae & Auſonio Cato-

nis Diſticha adſcripſiſſe nonnullos, quod uno in volumine iis Scriptoribus junctas ſententias iſtas reperiſſent. Simili ex cauſſa Itinerarium, quod vulgo Antonini dicitur, a Flodoardo & Hugone Flaviniacenſi fuiſſe Aethico adſignatum, quoniam in MSS. Aethici Coſmographiam excipere ſolebat, cum N. Bergerio ſeſe autumare, idque non infrequentem errando dediſſe occaſionem, notat Cl. Weſſeling. *Praefat. in vet. Roman. Itinerar.* p. 3. & 7. Idem ergo & Diſtichis illis, de quibus cum maxime agimus, eveniſſe, haud inmerito forte ſuſpicatus fueris. Atque ita Boxhornio, eorum tautologiam culpanti, facilis reſponſio. In alia omnia abit Lomeier. Diſſ. *de ſeptem. Gr. Sapient.* p. 303. Dec. 1. *Genial, Dier,* cum Ptolom. Flavio *Conjectan.* Cap 95. (in Face Crit. Gruteri To. 1.) Quod ad *Breves* porro *Sententias* adtinet, eas cum Cannegietero lemmata Diſtichorum olim fuiſſe exiſtimaverim, qua de re uberius agit Vir Cl. *Reſcript. Boxhorn.* Cap. 7. Nunc ad alia.

CAPUT XXVIII.

Valerius Flaccus tentatus.

Eſt apud Valerium Flaccum inſignis locus, qui mire turbat Interpretes, lib. 1. ṿ. 149. ubi, quum de exſtructione navis, qua expeditionem ingreſſuri erant Argonautae, verba feciſſet, mox addit:

Haec quamquam miranda viris ſtupet Aeſone natus;
Et ſecum: Heu miſeros noſtrum natosque patresque.

Sententia, uti paret, prorſus deficit. Nec Viri Magni Broukhuſius & Burmannus quidquam extricant. An ſic ſcripſerit?

Haec, quamquam miranda, nihil ſtupet Aeſone natus.
Sed ſecum: Heu miſeros &c.

Senſu

Senſu ſatis congruo. Et alicui forte id placuerit. Mihi tamen potior videtur ſequens lectio:

Haec quamquam miranda Viri ſtupet Aeſone natus;
Sic ſecum; Heu mis. &c.

Genuina, ni fallar, haec emendatio, & Valerio prorſus digna. *Viri* eſt Argi, celebris illius Architecti, qui navi a ſe fabricatae, & toti exinde expeditioni nomen indidit, V. ſupra ℣. 93. 124. & paſſim. pro *natoſque patreſque* feliciter Celeb. Burmannus conjiciebat *matresque patresque*, quod indecorum fuerit, patres ſollicitos inducere, & matres negligere, quibus in hujusmodi rebus primae ſemper partes ſolent tribui. Recte omnino. Sed pergimus.

CAPUT XXIX.

In Lampridii uno & altero loco inſtituta emendatio.

Aelius Lampridius Alexandrum Severum, Antonini nomen, praeter cetera, a Senatu ſibi delatum, non ſine gravi verborum pompa detrectantem, in *Vita* ejus Cap. 8. ſic inter alia loquentem inducit: *Haec enim nomina inſignia oneroſa ſunt. Quis enim Ciceronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis inpium Metellum? Et (ut hoc Dii avertant) quis non aequantem nomina ferat digerentem in clariſſimam ſpem dignitatum?* At ultima iſta male eſſe integra dudum notarunt Eruditi. An legendum? *quis non aequantem nomina efferat inmerentem in clariſſimam ſpem* (aut *ſpeciem*) *dignitatum?* Vel leviori mutatione: *quis non aequantem nomina ferat vi ruentem in cl. ſp. d.* Sed forte, quod nunc incidit, ſenſus planus fuerit, ſi poſt *digerentem* denuo ſubaudias *nomina*. Quis, inquit, ferat, non aequantem tanta no-

mina, eadem digerentem in ſpem celſiſſimarum dignitatum? *Digerere nomina* eſt rite ordinare, diſponere, in ſpem ſummarum dignitatum. Obvia haec verbi notio, Vid. Serv. ad 2. *Aen.* 182. & 3. 446.

Idem *in Anton. Heliogab.* C. 16. editur: *facta conſpiratione ad liberandam Remp. primum in conſcios vario genere mortis, quum alios vitalibus exemtis necarent, alios ab ima parte perfoderent, ut mors eſſet vitae conſentiens.* Forte melius, *genitalibus exemtis.* Sic fere Homerus *Odyſſ.* 22. ℣. 476:

—— μηδεα τ' εξερυσαν κυσιν ωμα δασασθαι.

et genitalia extraxerunt *canibus cruda comedenda.*

Rurſus Lampridius *in Alexand. Sev.* Cap. 65. haec habet: *Et id quidem ab Homulo ipſi Trajano dictum eſt, quum ille diceret Domitianum peſſimum fuiſſe, amicos autem bonos habuiſſe, atque adeo illum magis odio fuiſſe, qui Remp. pejoris vitae hominibus commendaverat, quia melius eſt unum malum pati, quam multos.* Maluerit quiſpiam *atque adeo dignum magis od. fuiſſe.* aut, quod potius videtur, *atque adeo Vitellium magis o. f.* De eo certe Tranquillus *in Vitell.* C. 12. *Talibus principiis magnam imperii partem, non niſi conſilio, & arbitrio viliſſimi cujusque hiſtrionum & aurigarum adminiſtravit, & maxime Aſiatici liberti.* Aliorum Animadverſiones, quas omnes hic referre nimis longum foret, videre licet Vol. 4. *Obſ. Miſc.* p. 231. & ſeqq.

CAPUT XXX.

Sedulius bis tentatus. Auctor, qui futura praedicit.

Sedulius *Carmin. Paſchal.* l. 3. ℣. 72. legitur:

Quum procul e tumulis gemino ſtridore ruentes
Proſiluere viri, quos non mala daemone pauco,
Sed legio vexabat atrox.

Τὸ *mala* hic miſere languet, & prorſus inconcinne poſitum. Quid enim hoc? *malam legionem daemone pauco* obponere *atroci legioni.* Adeone quidquam differunt *malus* & *atrox?* an non *malum* omne *atrox*, & viciſſim? ſic puto. Nec ſuccurrit tamen praeſens remedium. Dicendum forte, ut aliquoties, ita & hic, quantitatem neglexiſſe Sedulium, & legendum, *quos non ala daemone p.* Viderint peritiores.

Lib. 5. porro ℣. 105:

At ſenior, cui cuncta potens praedixerat auctor
Quae ventura forent, (quoniam tranſire nequivit
Infectum, quod Chriſtus ait) ſe prorſus adeſſe
Ipſius ex ſociis, ſemel ac bis terque negavit.

Nulla omnino adeſt ratio, cur *ſenior* hic dicatur Petrus, maxime, cum huc uſque ſermo fuerit de Chriſto, cui Petrum tamquam *ſeniorem* non recte Sedulius adpoſuerit. Reponendum idcirco, *at Simon.* non difficili ſanequam permutatione. Quam parum certe in veteribus libris *ni* & *m* differant, is demum ignorabit, qui ſcriptos Codices nunquam viderit. *Auctor* vero eſt, qui futura praemonet. Sic Juvencus l. 1. ℣. 197:

Iſque ubi curvato defeſſus corpore, templum
Jam gravior penetrat, monuit quod ſpiritus auctor.

 Valer.

Valer. Max. l. 7. C. 3: *quam Oraculorum certiſſimi auctores in hoc a Diis inmortalibus editam reſponderunt.* Ovid. 2. *Amor.* 6:

Milvius, & pluviae garrulus auctor aquae.

Ubi adeo nihil mutandum, nec *augur* ſubſtituendum.

CAPUT XXXI.

Juvenci duo loca integritati reſtituta.

Verba Juvenci lib. 1. *Hiſtor. Euang.* ℣. 45. circumferuntur:

Egreſſus trepide Numen vidiſſe ſupernum
Nutibus edocuit, miſerae & diſpendia vocis.

Malim, *miſera & d. v.* Nam ita amat Juvencus ultimo Subſtantivo epitheton negare. Ut ℣. 33:

Ad deſperandum forſan cunctatio mentis
Debuerat tardis haerens inſiſtere verbis.

℣. 49.

Nec dilata dia venerunt munera prolis.

Et ſic paſſim.

Ejusd libri ℣. 168. Angelus ad Paſtores ait:

Hoc ſignum dicam, puerum quod cernere vobis
Jam licet inplentem gracili praeſepia voce.

At nulla apud S. Lucam, quem tamen in hiſce ſemper ſectatus eſt, *vocis* mentio. Reſcribamus ergo, *i. gracili praeſepia fotu.* Supra dixerat:

—— *& leni pannoſo tegmine fotu*
Texit, cui durum canas praeſepe miniſtrat.

Et infra ℣. 176:

Pa-

Paſtores propere veniunt, puerumque jacentem
Praeſepis gremio cernunt.

Nihil ibi de *voce*. Firmat emendationem noſtram Sacer Scriptor C. 2. ℣. 12. και τȣτο ὑμιν το σημειον. ἑυρησετε βρεφος εσπαργανωμενον, κειμενον εν τη φατνη. *Et hoc vobis ſignum erit. Invenietis puerum pannis involutum, jacentem in praeſepi.*

CAPUT XXXII.

Quaedam Juris Juſtinianei loca aut emendata, aut illuſtrata. Legum & rerum confuſa. Magis ante quam omiſſum. Item non, alius, alter, in alterutro ſententiae membro neglecta. Alexandri Aphrodiſaei tentata verba. Et alia.

Liceat nunc paullo liberius vagari, & in quosdam juris noſtri locos, ſtrictim tamen ut plurimum & breviter, inquirere.

§. 7. Inſtit. *quib. ex cauſſ. manum. non licet. Quod non erat ferendum:* (loquitur Imperator de lege Aelia Sentia, quae minorem viginti annis teſtamento libertatem ſervo dare prohibuerat) *nam cui totorum ſuorum bonorum in teſtamento diſpoſitio data erat, quare non ſimiliter ei, quem ad modum alias res, ita de ſervis ſuis ultima voluntate diſponere quem ad modum voluerit permittimus? ſed cum libertas inaeſtimabilis res ſit, & propter hoc ante* XX *aetatis annum antiquitas libertatem ſervo dare prohibebat, ideo nos mediam quodammodo viam eligentes* cet. Verba ea, *& propter hoc ante* XX *aetatis annum antiquitas libertatem ſervo dare probibebat*, perverſo plane ordine ſunt poſita, & menti Juſtiniani contraria. Locutus ante fuerat de

iſta, quam memoravimus, legis prohibitione. Suam nunc porro voluntatem expliciturus, abrogandi legem iſtam rationem reddit *favorem libertatis*, qui quantus ſit vid. in §. ult. Inſt. *de donat.* & ob eum etiam viginti annis minori libertatem ſervo in teſtamento dare ſatis liberaliter concedit. Verba itaque haec ridicule adpoſuiſſet. An tranſponenda potius? *quare non ſimiliter ei quem ad modum alias res, ita de ſervis ſuis in ultima voluntate diſponere permittimus? & propter hoc ante* XX *aetatis annum antiquitas libertatem ſervo dare prohibebat. Sed cum libertas inaeſtimabilis res ſit, ideo nos* &c. *propter hoc* eſt propter cauſſam, quam memoraverat, ne liceret in ultima voluntate minori XX annis de ſervorum ſuorum voluntate ex voto diſponere, idque in majus legis Aeliae Sentiae odium addit, & quaſi tacite invidiam ipſi exprobrat, uti mox legi Fuſiae Caniniae Tit. ſeq.

§ 1. *de milit. teſtam. Si ergo miles, de cujus bonis apud te quaeritur, convocatis ad hoc hominibus, ut voluntatem ſuam teſtaretur, ita locutus eſt, ut declararet, quem vellet ſibi heredem eſſe.* Malim, cum hic, tum in l. 24. D. *de teſt. mil. ut vol. ſuam teſtarentur*, id eſt, ut ſibi, voluntatem ſuam declaraturo, teſtes adeſſent.

In L. 10. §. 2. D. *de juſtit. & jure* ſic definitur ab Ulpiano Juriſprudentia: *Juriſprudentia eſt divinarum & humanarum rerum notitia: juſti atque injuſti ſcientia.* An ſcripſerit? *div. & hum. legum notitia.* Haec certe vera & propria Juriſprudentiae definitio. Juſtinus l. 36. C. 2. *nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur.* Eadem vocum confuſio eſt in Horat. 2. *Serm.* 1. ✡. 81:

Sed tamen ut monitus caveas, non forte negoti
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum.

Ubi in MS. Bibliothecae Franequeranae ſingularem

rem lectionem eſſe, *ſanctarum inſcitia rerum*, monuit Cl. Bos *ſpecim. Obſ. ad Script. quosd. Lat.* C. 12. princ. Ita apud Valer. Flacc. l. 1. ℣. 515. pro *nube rigens ac neſcia rerum*, Voſſius in ora Codicis notaverat *neſcia legum*, V. Burmann. ad h. l. Melius *neſcia veris* reſtituit Vir Eruditus Vol. 4. *Obſ. Miſc.* p. 160.

L. 2. §. 5. *D. de Orig. Jur.* *Haec diſputatio, & hoc jus, quod ſine ſcripto venit, compoſitum a Prudentibus, propria parte aliqua non adpellatur, ut ceterae partes juris ſuis nominibus deſignantur, datis propriis nominibus ceteris partibus: ſed communi nomine adpellatur jus Civile.* An rectius? *d. propr. nom. certis partibus.* Aliud, ſed violentius longe remedium placuit Ruperto *ad Enchirid. Pomponii* l. 1. C. 6.

Ibid. §. 19. ſic editur: *Et his Dictatoribus Magiſtri Equitum injungebantur: ſic quo modo Regibus Tribuni Celerum: quod officium fere tale erat, quale bodie Praefectorum Praetorio. Magiſtratus tamen babebantur legitimi.* Illa ultima *Magiſtratus tamen bab. l.* ſenſum vehementer turbant. Varie proinde & explicantur & emendantur a Viris Doctis. Sed quos omnes more ſuo, id eſt erudite, refellit Ampliſſ. Bynkershoek. *in Praeterm. ad Pompon.* Ipſe autem verba haec ad §phum, qui ſequitur, vigeſimum rejicienda cenſet, hoc modo: *Magiſtratus tamen babebantur legitimi iisdem temporibus. Cum plebs a patribus ſeceſſiſſet anno fere ſeptimo decimo poſt Reges exactos, Tribunos ſibi in monte ſacro creavit. Sic dicit*, inquit Vir Ampliſſimus, *magiſtratus in urbe Romana, quos a* §. 16. *recenſuerat, fuiſſe legitimos rite & ordine, ex ſenatorio ordine creatos, non per turbas & ſeditiones extortos, ut fuerunt Tribuni plebis, de quibus nunc agere incipit.* Veneror ego auctoritatem Tanti Viri. Ut merito. Sed, praeterquam quod, hac conjectura admiſſa, τo *tamen* valde langueat, verba etiam iſta, *iisdem temporibus cum plebs a patribus ſeceſſiſſet*, no-

vam orationem concinne magis inſtituere videntur. Ex mente quoque Viri Eruditiſſimi Pomponius melius dixiſſet, *ſed cum*, aut *cum vero*; particulam enim ejusmodi adverſativam ſenſus tum neceſſario exigeret. Ut alia jam non addam. Quapropter, quum nullam commodae explicationis viam reperire liceat, malim putare, poſt *tamen* particulam *non* per praecedentem literam *n*, uti id quandoque in ſcriptis Codicibus evenire ſolet, abſorbtam fuiſſe, & legendum, *Magiſtratus tamen non habebantur legitimi.* Ut dicat JCtus, Dictatores & Magiſtros Equitum, aut, ſi malis, ſolos poſteriores, legitimos, id eſt, ordinarios & perpetuos Reipublicae Magiſtratus non fuiſſe, ſed extraordinarios. Sic eos diſtinguit a Tribunis Celerum & Praefectis Praetorio, quibus cum Magiſtros Equitum antea conparaverat, & qui Magiſtratus erant legitimi, pariter atque Chariſius in l. 1. princ. *de off. Praef. Praet. Legitimum* quoque & *extraordinarium*, quamvis ſenſu paullum diverſo, ſibi obponit Sueton. *in vita Claudii* C. 21. §. 9. uti *legitimam* & *extraordinariam poenam* Ulpianus l. 3. §. 2. *de crim. ſtellion.* aliisque locis in Jure.

L. 2. §. 1. *de rebus cred. Mutui datio conſiſtit in his rebus, quae pondere, numero, menſura conſiſtunt: quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire, quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie. Nam in ceteris rebus ideo in creditum ire non poſſumus, quia aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt.* Scio alios ante *quam* ſubintelligere *magis*, ut *quam ſpecie* idem ſit, ac *magis quam ſpecie.* Neque etiam veteres hoc pacto loqui nego, Vide ex plurimis Vir. Doct. *Obſ. Miſc.* Vol. 4. p. 421. Barth. *Adverſ.* 2. C. 4. Perizon *ad Sanct. Min.* l. 4. C. 7. p. 693. Arntzen. *ad Plin. Pan.* 14. 1. Sed an iſtud heic locum habere queat, vehementer ambigo. Nam & durior ellipſis eſt, & nunquam in Mutuo obtinere

reſti-

reſtitutionem in ſpecie poſſe, receptiſſimi Juris eſt. Si itaque hic *magis* foret ſubaudiendum, idem fuerit, ac ſi quandoque in Mutuo *ſolutio in ſpecie* poſſet intervenire, quamvis magis videatur poſſe *in genere*: Quod tamen falſiſſimum. Legerim idcirco: *quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, nunquam ſpecie*. Per literam *ni*, quae praecedebat, nullo negotio ſyllabam *num* excidere potuiſſe, cuilibet, credo, facile perſuaſerim.

L. 40. D. *de hered. inſtit. Si pater familias Titium, quem ingenuum eſſe credebat, heredem ſcripſerit, eique ſi heres non eſſet, Sempronium ſubſtituerit; dein Titius, quia ſervus fuerat, juſſu domini adierit hereditatem: poteſt dici Sempronium in partem hereditatis admitti. Nam qui ſcit aliquem ſervum eſſe, & eum heredem ſcribit, & ita ſubſtituit, ſi Stichus heres non erit, Sempronius heres eſto, intelligitur tale quod dicere, ſi Stichus neque ipſe heres erit, neque alium fecerit: at qui eum, quem liberum putat eſſe, heredem ſcripſerit, hoc ſermone, ſi heres non erit, nihil aliud intelligitur ſignificare, quam ſi hereditatem vel ſibi adquiſierit, vel mutata conditione alium heredem non fecerit: quae adjectio ad eos pertinet, qui patres familias heredes ſcripti, poſtea in ſervitutem detruſi fuerint. Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut alter ſemis inter eum qui dominus inſtituti heredis fuerit, & ſubſtitutum, aequis portionibus dividatur*. Primo verba ea, *nihil aliud intelligitur ſignificare, quam ſi hereditatem vel ſibi adquiſierit*, ſana mihi eſſe videntur, & ex poſteriori tantum ſententiae parte *non* ſubaudiendum; ſequitur enim, *vel mutata conditione alium heredem* non *fecerit*. Sic aliquoties loquuntur antiqui. Sedul. l. 1. *Carm. Paſchal.* ℣. 307:

—— —— —— —— Arrius unum
Debet ſcire, ſumusque Sabellius eſſe fatendum.
Iſte fidem trinam, aſt hic non amplectitur unam.

l. 27.

l. 27. Cd. *de inoff. teſt. liberti, qui perperam, & non bene merentes, maximisque beneficiis patronum ſuum adſecuti, inſtituti ſunt.* Pro *non bene merentes, maximiſque beneficiis patronum ſuum non adſecuti.* Alii *adſecuti* hic exponunt paſſive, & ita eſt apud Frontin. 1. *Strateg.* 8. *ex.* 3. & alios. tumque *ſuûm patronûm* putant eſſe Genitivum Pluralem, ut loquuntur Grammaticorum παιδες, αντι των *ſuorum patronorum.* Forte quis dixerit, poſt *patronum* inſerendum *non*, quod per praecedens *m* videri poſſit omiſſum. Idque paſſim in MSS. evenire novimus. Ita ex gr. l. 15. §. 15. D. *de injur. & fam. lib. ſi igitur non matronali habitu foemina fuerit, & quis eam adpellavit, vel ei comitem abduxit, injuriarum tenetur.* Legendum, *injuriarum non tenetur.* Ut dudum viſum aliis. Aut, quod multi praeferant, *ſi igitur in matronali hab. f.* Quam facile inperiti librarii *in* cum *non* permutare potuerint, nullus neſcit. Sed melius haud dubie plures crediderint, ſi in d. l. 27. Cd. pro *maximiſque beneficiis*, reſcribamus *max. inimicitiis.* Certe *maxima beneficia* hic parum concinne memorari, ſemper opinatus ſum. Ex his ergo conjecturis, quas tantum propono, non obtrudo, ſicuti cuique adriſerit, eligendi jus faſque eſto. Nunc ad legem noſtram revertimur. Ejusdem conſtructionis exemplum eſt in Virgil. 2. *Aeneid.* ϒ. 159:

—— —— *teneor patriae, nec legibus ullis.*

Ubi maluerit aliquis, *teneor patriâ, nec l. ull.* Non intercedo. Alia dabit Cel. Schwarz. *in Excurſu ad Plin. Pan.* C. 36. §. 1. Quae porro in fine legis habentur, *Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut alter ſemis inter eum* cet. nullo omnino vitio laborant. Concinnior loquendi ratio, JCtis tamen non infrequens, turbas dedit. Verba namque *alter ſemis* in poſteriori membro ſunt omiſſa, ex priori ſubintelligenda,

genda. Plene foret: *Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut alter ſemis inter eum, qui dominus inſtituti heredis fuerit, & (alter ſemis inter) ſubſtitutum aequis portionibus dividatur.* Sic ad amuſſim ſequenti legi verba reſpondebunt. Sequitur enim continuo in l. 41. *Et hoc Tiberius Caeſar conſtituit in perſona Parthenii.* Inſpice §. 4. Inſt. *de vulg. ſubſt.* & conf. Viglii Zuichemi *Praefat. Theoph.* p. 22. Saepiſſimeque ita *alter* & *alius* uſitantur veteribus, & in ſecunda ſententiae parte negliguntur. Exempla adtulit Gronov. *ad Liv.* l. 3. C. 37. & l. 29. C. 33. hinc defendenda forte vulgata apud Cyprianum lectio, *de hab. Virgin.* C. 4. *deprehenderis Virgo, detegeris, aliud eſſe te jactas, & adfectas.* Summus Gronovius *Obſerv. ad Script. Eccl.* C. 3. emendabat, ex membranis tamen, *aliud eſſe de jactas, & aliud affectas.* Qui malunt, hoc quo in lege noſtra eſt ſignificatu, *alter* induere notionem τ8 *utriuſque*, adjuvantur Alexandri Aphrodiſaei, Commentatoris Ariſtotelis, verbis, ad 2. Μετεωρολ. C. 5: το πλατος λεγων το απο τ8 ἑτερου διαϛημα. Videtur ſubaudiendum πολου, aut legendum, το πλ. λεγων το πολου ἑτ. διαϛημα. *latitudo eſt intervallum ab altero polo.* Doctiſſ. P. Petitus l. 3. *Miſc. Obſerv.* C. 17. ſcribebat, απο τ8 ἑτερου πολου εις ἑτερον διαϛημα. Sed iſtud in auctores graſſari, non emendare eſt. Felicius ſanequam repoſuiſſet, το πλ. λ. το πολου ἑκατερου διας. Sic ſenſus idem, & criſis multo minus atrocior. de *latitudinis* ſignificatione notavit aliquid Voſſius *ad Pompon. Melam.* lib. 1. Ceterum, ut eo redeam, egregia ſunt, quae ad legem noſtram 40 obſervarunt Viri Eruditiſſimi Bynkershoek. 4. *Obſerv.* C. 19. Wieling. *addend. ad Chaſſan. Parat. Inſt.* p. 106. & G. O. Reitz. Diſſ. inaug. *de Matheſi Jurid.* p. 43. quos inſpexiſſe non poenitebit. Pergimus.

L. ult. D. *de duob. reis conſt. Cum duo eamdem pecuniam debent, ſi unus capitis deminutione exemtus eſt obli-*

obligatione, alter non liberatur: multum enim intereſt, utrum res ipſa ſolvatur, an perſona liberetur. Cum perſona liberatur, manente obligatione, alter durat obligatus. Et ideo ſi cui aqua & igne interdictum eſt, alicujus fidejuſſor poſtea ab eo datus tenetur. Verba ultima ſic lego & diſtinguo: *& ideo ſi aqua & igne interdictum eſt alicui, ejus fidejuſſor poſtea ab eo datus tenetur.* Senſus: ſi alicui aqua & igne interdictum ſit, fidejuſſor, antea ab eo datus, poſt capitis deminutionem etiam tenebitur.

L. 3. princ. *de bonis eor. q. ante ſentent. Papinianus tamen lib.* 16. *Reſponſorum ita ſcripſit, ut qui rei criminis non poſtulati manus ſibi intulerint, bona eorum non vindicentur: non enim facti ſceleritatem eſſe obnoxiam, ſed conſcientiae metum in reo velut confeſſo teneri placuit.* Sunt, qui legant, *fati celeritatem eſſe obn.* & iis favet locus Val. Maximi l. 2. C. 6. Ex. 8: *cognitione virili benevolentia temperata, quae nec egredi vita temere patitur, & ſapienter excedere cupienti celerem fati viam praebet.* paſſim autem *fatum* & *factum* confundi quem latet? Sic apud Symmachum, in Editione, qua utor, l. 9. *Epiſt.* 1. legitur: *ita clementiam Maximi Principis noſtri ſentiant vota & facta cunctorum.* At ſcribendum omnino, *vota & fata cunctorum.* Quod ab aliis forte praeceptum.

L. 22. *Cd ad leg. Jul. de Adult. Si ea, quae ſtupro tibi cognita eſt, & paſſim venalem formam exhibuit, ac proſtitutam meretricio more vulgo ſe praebuit: adulterii crimen in ea ceſſat.* Fuit, quum legerem, *ven. famam exh.* Sed nunc receptam lectionem tueor, quam & firmat Ovid. 1. *Amor.* x:

Et faciem lucro proſtituiſſe ſuam.

Hegeſipp. *de exc. Hieroſol. quantae iſtud intemperantiae fuiſſe, ut abſenti & promto in libidines viro, tam praeterea potenti, qui poteſtate pro jure uteretur,*

formam venalem obferret, ut pulcritudinem licitaretur. Sic legendum, cum Gronov. *Obſ. in Script. Eccl.* C. 6. Petron. *in Satyr. quo enim ſpectant flexae pectine comae? quo facies medicamine adtrita, & oculorum quoquo mobilis petulantia? quo inceſſus tute conpoſitus; & ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrantia? niſi quod formam proſtituis, ut vendas.*

L. un. Cd. *de emendat. ſervor. Vel dilaniaverit poenis publicis corpus, ferarum unguibus latera perſecanda.* In aliis *furiarum u.* Quod perinde. Intelliguntur autem ungues ferrei, de quo ſubplicii genere V. Ampl. Cuper. *ad Lactant. de mort. Pers.* C. 16. Quae deinde ſequnntur, *aut tabeſcentes artus atro ſanguine permixta ſanie defluentes*, deſumta ex Virgilio, apud quem Achaemenides de Polyphemo Cyclope l. 3. *Aen.* ℣. 625:

—— —— ſanieque adſperſa natarent
Limina: vidi atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent ſub dentibus artus.

I nunc, & clama Thyeſteas epulas!

CAPUT XXXIII.

Virgilius & Lucanus leviter correcti. Furere & ruere confuſa.

Virgil. 1. *Aen.* ℣. 88. de ventis ab Aeolo, Junonis precibus, in Aeneae claſſem inmiſſis:

Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Una Euruſque Notuſque ruunt.

Legendum credo, *Eur. Not. furunt.* Quod ℣. 87. jam dixerit,

—— —— ac venti, velut agmine facto,

Qua

Qua data porta, ruunt, *ac terras turbine perſtant.*

Eodem modo emendandus Lucanus l. 1. ℣. 68.

—— —— —— *quid in arma furentem*

Inpulerit populum, quid pacem excuſſerit orbi.

lego, *quid in arma ruentem*, id quod τὸ *inpulerit* evidenter confirmat. Plurimum autem haec permutantur. Ut infra ℣. 254.

Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem

Vidimus. —— in MS *furentem.* Et ſic infinitis locis aliis.

CAPUT XXXIV.

Eumenius aliquoties emendatus.

Eumenius Orat. *pro inſtaur. Scholis* C. 5. ſic hodiedum editur: *& devotiſſimarum hyberna legionum, quarum invicta robora, ne in his quidem quae nunc cum maxime gerunt bellis, requirunt, ut commodis noſtris ſtudio gratiae hoſpitalis operentur, & reſides aquas, & novos amnes veluti aridis feſſae urbis viſceribus infundant.* At ſine ullo ſenſu. Repone, *ne in in his q. quae n. c. m. ger. b. requierunt, ut comm. n. ſt. gr. h. operentur, nec reſides aquas, ſed novos amnes.* &c. aut, *& recentes aquas, & n. a.*

Ib. Cap. 5. *neque aliter quam ſi equeſtri turmae, vel coborti praetoriae conſulendum foret, quem potiſſimum praeficerent, ſui arbitrii eſſe duxerunt, ne ii quos ad ſpem omnium tribunalium, aut interdum ad ſtipendia cognitionum Sacrarum, aut fortaſſe ad ipſa palatii magiſteria provehi oporteret, veluti repentino nubilo in mediis adoleſcentiae fluctibus deprehenſi, incerta dicendi ſigna ſequerentur.* Malim, *ad aciem omn. tr.* totus enim eſt in metaphora a re militari. Sic C. 2. *aciem fori* dixit.

Cap. 16.

Cap. 16: *Quid igitur mihi cum numerata pecunia? immo quid cum ullis opibus aut Midae regis, aut Croeſi, aut ipſius, qui auro dicitur fluxiſſe, Pactoli, cum divina haec teſtimonia omnibus divitiis, atque ipſis eorum praemiis anteponam? Niſi forte Pythiados illius excellentem Socratis ſapientiam vaticinatae aut magnificentius carmen videtur, aut verius, quam quod Jovii Herculiique pronunciant, quorum ne nutus quidem poſſunt, non modo dicta, revocari.* Lego, *Mihi forte Pyth. il. exc. Socr. s. v. haut magn. c. videtur, haut ver. Aut* & *haut* promiſcue ſcripta, V. *ad Anton. Carmen*, &, qui plura habet, Vir Doctus Vol. 6. *Miſcell. Obſerv.* p. 367. Sed & minori mutatione ſic poſſet corrigi: *Nihil forte Pyth. ill. exc. S. ſap. vat. aut m. c. videtur, aut v.* Atque hanc quidem emendationem priori praetulerim.

CAPUT XXXV.

Monimenta ſpuria pro genuinis a Ligorio mala fide ſubpoſita. Urbs Monopolis quando videatur condita. Q. Voluſius Saturninus & P. Corn. Scipio Conſules. Caepiones ac Scipiones confuſi.

Maximi in re Literaria momenti vetuſta eſſe marmora nemo facile in dubium vocaverit, niſi qui omnibus plane literis deſtitutus. Oſtenderunt certe Viri Summi, qui aetatem in hiſce ſtudiis trivere ſucceſſu feliciſſimo, haud pauca aeterna nocte ſepulta fore, ſi abſque Lapidibus & Inſcriptionibus fuiſſet. Id unice dolendum, peſſima quosdam fraude ſaepe pro genuinis monimentis ſpuria nobis obtruſiſſe. Quo factum, ut omnis venerandae Antiquitatis fides elevetur, paſſimque adeo, dum Junonem geſtimus,

nubem aliquam conplectamur. Probabimus iſtud hoc Capite uno tantum alteroque, ſed nobili exemplo.

Pag. IX. num. 7. Collectionis Gudianae ex Ligorio habetur ſequens Inſcriptio, inventa, ut creditur, Monopoli:

IOVI. OP. MAXIMO
L. OPPIVS. C. F. FAB
CALIDUS
IIIIII. VIR. AVGVSTALIS
PATRONVS. MVN. MON
SACERDOS. TITIAL
FLAVIALIS. SACR

Et Pag. CXXXVI, 7. alia, ex eodem Ligorio:

DIS. MANIBVS
M. POMPEDIVS. M. F. FAB
FAVSTVS.
MAGISTER. AVGVSTA
LIS IIII. VIR. MVNICIP
MONOP. II VIR. CAPIT
V. F. C.
H. M. D. M. A.

Sed vide hinc, quam merito multis ſuſpecta ſit Ligorii fides, qui MVNICIPIVM MONOPOLITANVM inprudenti Lectori adnumerare inſtituit, quum tamen urbs MONOPOLIS recentioris longe ſit originis, & nullo modo ad iſta tempora referri poſſit. Nec enim aut Plinius, aut Mela, aut quisquam alius veterum vel hilum de ea meminit. In antiquis quoque Itinerariis altum hic ſilentium. At, ne quid dubites, audi Leandrum Albertum, teſtem haud dubie locupletem, *in Deſcript. Ital.* p. 366: *altero ab hinc lapide*, ſic ait, *per litus urbs nova Monopolis*, *cujus mentionem nullis adhuc ſcriptorum monumentis factam reperi*, *praeterquam Volaterrani*, *qui conditam ob*

Egnatiae

Egnatiae propinquae interitum ſcribit. Ita ille. Id tamen addendum, licet apud ſolum Volaterranum mentionem hujus urbis invenerit Leander Albertus, ejusdem jam ante feciſſe Gulielmum Appulum, *de Normann.* lib. 1. p. 257:

Omnia praeclarum ſuper Appula moenia Barum,
Illis temporibus, Monopolis, & Juvenacus,
Atque urbes aliae &c.

Item Leonem Oſtienſem *Chron. Caſinens.* lib. 1. C. 63. Sic ut tute ſatis adfirmari poſſe videatur, Seculo XI Monopolim fuiſſe conditam, idque, ut Volaterranus refert, ex vicinae Egnatiae ruinis.

Addamus jam aliud ſpecimen, unde de Ligorii meritis aeque aperte conſtiterit.

Pag. IX, 4. Gudius ex Ligorio:

CERERI. FRVG
SACR
L. COMINIVS. L. LIB
CALLIMACHVS
FLAMMEARIVS
ET. M. COMINIVS
M. LIB. EROS
SVTOR
V. S. L. M
KAL. IVN
Q. VOLVSIO. SATVRNINO
P. COR. CAEPIONE. COS.

Pag. XXIV, 10. Gudius iterum ex Ligorio:

APOLLINI INVICTO
SACRVM
TI. CLAVDIVS. AVG. LIBER
ARCHIGANES. MVSIC

I 2 DED.

DED. IIII. NON. IVN
Q. VOLVSIO SATVRNINO. ET
P. CAEPIONE. COS

At nulli unquam in rerum natura exſtiterunt *Q. Voluſius Saturninus*, & *P. Caepio* duo Conſules. Obſtant Faſti, & vetuſti lapides. Fuit *Q. Voluſio* in Conſulatu collega *P. Cornelius Scipio*, ſub Nerone, Anno U. C. DCCCVIII. nullus *Caepio*. Certiſſimum id vel ex Inſcriptione, quam exhibent Pighius *Annal. Roman.* lib. XIIX. ad hunc Annum, & Gruterus *in Corp. Inſcript.* p. IX, 4:

Q. VOLVSIO. SATVRN.
P. CORNELIO. SCIP. COS.
AVGVSTALES
QVI CLAVDIO
CAESARI. AVGVST. ET
AVGVSTAE
I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE
LVDOS. FECER. XIII. XII. K. MART
C. TANTILIVS. CC. L. &c.

Plura Pighius cit. loco. Fefellit Ligorium corrupta olim lectio apud Tacit. l. 13. *Annal.* C. 25. quam dum temere ſequitur, fraudes ſuas turpiter prodidit. V. ibi Notas. Quoties autem *Scipiones* & *Caepiones* in ſcriptis libris confundantur, dudum docuit Cl. Perizonius *Animadv. Hiſtor.* C. x. p. 425. 426.

CAPUT XXXVI.

Emaculatae Inſcriptiones quaedam ex Sanctorum Martyrum Coemiteriis apud Boldettum. Una alteraque in Muratorii Theſauro rite explicita. Ex continuatione ſcripturae errores orti. Cyriacete &c.

In Coemiteriis S. Martyrum, cum Obſervationibus editis a Marco Antonio Boldetto, Pag. 416 depravata legitur Graeca Inſcriptio:

ΠΤΟΛΜΑΙϹ. Α. Ι. ΜΝΗΓΑ
ΙΕΝΘΕΩ
ΠΑΡΘΕΝΟϹ. ΕΤΩΝ ΙΕ
ΜΗΤΗΡ ΤΥ ΧΑΡΙΝ
ΑΝΕΘΕΙΚΑ.

Ptolmais A. I quae hymnos Deo perſonabat virgo annorum XV. *Mater ejus gratia poſui.* Sic enim vertit Latinus Interpres, qui hic profecto ſatis liberaliter Muſicam nobis indicavit, quam in Graecis tamen merito deſideraveris, quibus ipſis huic Viri Docti beneficio renunciare cogimur, ac, ſi ſanum ſenſum velimus, quantocius reponere, ΠΤΟΛΜΑΙϹ ΑΕΙ ΜΝΗΣΤΑ ΕΝ ΘΕΩ. i. e. *Ptolmais ſemper memoranda in Deo.* ΤΥ barbare exaratum pro ΤΟΥ. Hinc autem & emendanda illa Inſcriptio Pag. 411:

ΞΑΝΘΙΠΠΗΑΕ ΙΜΝΗ
ΣΤΕΓ ΡΗΓΟΡΕΙ.

Redditur, *Xantippa immortalis vigilat.* Tu lege:

ΞΑΝΤΙΠΠΗ ΑΕΙ ΜΝΗ
ΣΤΗ ΓΡΗΓΟΡΕΙ.

Tranſeamus nunc ad aliam. P. 402:

ΚΥΡΙΑΚΗΤΗ ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ ΚΑΤΑΘΕCΕΙCΕΝ ΠΑΚΕ
ΕΖΗCΕΝ ΕΤΗ. ΛΕ ΠΡΟ ΜΙΔCΕΙΔΩΝ ΜΑΡΤΙΩΝ

Vertuntur, *Cyriaceti Dulciſſimae depoſitae in Pace vixit annos* XXV. *praevixit Idibus Martiis.* Ut aliquis ſenſus evadat, legendum, ΠΡΟ ΜΙΑC ΕΙΔΩΝ ΜΑΡΤΙΩΝ. h. e. *pridie Idus Martias.* Sed & pro ΚΥΡΙΑΚΗΤΗ diviſis vocibus ſcribendum ΚΥΡΙΑΚΗ ΤΗ. Ut ſupra p. 213:

CYRIACÆ. DVLCISSIMAE. DEPOSITÆ
IN PACE. VIXIT. ANNOS XXXV
IDIBVS. MARTIIS.

Aliter quidem in Nominibus propriis paſſim efferunt ſerioris aetatis Latini. Sic P. 54:

PARENTES POSVERVNT ID EST
VICTORIANVS ET CYRIACETE.

P. 381:

HVIC PARENTES POSVERVNT ID EST
VICTORINVS ET CYRIACETE.

Et alibi, V. Reineſ. *Commentar. ad Inſcript.* p. 909. 925. Nullibi tamen ita Graeci. Ex continuata autem ſcriptura, uti hic, ita plurimis locis etiam peritiſſimorum errores obvii. Sed nunc tantum notabimus in duobus Lapidibus apud Muratorium *Theſ. novi Inſcript.* Pag. CIↃCLXXXIX, 9:

Θ. Κ.
ΜΑΞΙΜΑΝΤΗ
Ν ΚΑΙ ΕΙΡΗΝΗΝ
ΠΑΡΘΕΝΟΝ Α
ΓΝΗΝ ΕΤΩΝ Κ̄
ΜΑΞΙΜΟC ΠΑ
ΤΗΡ ΜΝΗ ΧΑΡΙΝ.

Vertitur:

Diis

Diis Manibus
Maximantem, quae & Irene cet.

At legendum fuerat, ΜΑΞΙΜΑΝ ΤΗΝ ΚΑΙ ΕΙΡΗΝΗΝ. i. e. *Maximan, quae & Irene.* Sic certe loquuntur Graeci. Pag. porro MCDXXVI:

ΖΩΤΙΚΗΝ ΒΑϹϹΙΑϹ
ΤΗΝ ΜΟΝΗΝ ϹΩΦΡΟ
ΝΑ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝΔΡΟΝ
ΕΥΦΡΟϹΥΝΟϹ
ΑΝΗΡ ΕΥΨΥΧΕΙΟΥ
ΔΕΙϹΑ ΘΑΝΑΤΟϹ
ΕΤΩΝ Κ Β.

Ultima redduntur Latine, *verita non eſt mors eripere.* At longe aliud quid Graeca ſonant. Lege, ΕΥΨΥΧΕΙ. ΟΥΔΕΙϹ ΑΘΑΝΑΤΟϹ. *bono eſto animo, nemo inmortalis.* Solebant formulae iſtiusmodi conſolandi quaſi mortuos monimentis frequenter adjici. Apud Gruter. P. DCXCI, 6. ΕΥΨΥΧΙ. ΤΕΚΝΟΝ. ΟΥΔΙϹ. ΑΘΑΝΑΤΟϹ. P. DCCCCXXXIII. 11. ΕΥΘΥΜΕΙ ΚΑΛΛΙϹΘΗ ΟΥΔΕΙϹ ΑΘΑΝΑΤΟϹ. Vid. & P. MCXX, 4. etc. Sed redeamus ad Boldettum. P. 398:

ΚΡΗϹΚΕΝ
ΤΟϹ Π ΙΕ ΚΑ
ΛΑΝΑΩΝ
ΝΟΕΜΒΡΙΩΝ.

Creſcentius Kalendis Novembris. Scribe ΚΑΛΑΝΔΩΝ. & Π notat ΠΡΟ. vertendumque adeo, *ante* XV. *Kal. Nov.*

P. denique 573:

ΕΡΜΟΓΕΝΗ ΧΑΙΡΕ ΕΤΗ
ΒΙΩϹΑϹ. ΜΕ. ϒΑ
ΛΩϹ ΠΡΑΞΑΩΗΔΕ
ΝΑ ΛΥΠΗϹ ΑϹΜΗΔΕ
ΝΙ ΠΡΟΗΚΡΥϹΑϹ.

Videntur haec pro deſperatis fuiſſe habita, quum nec verti potuerint. Pauculis leviter inmutatis ſenſus erit conmodiſſimus, hoc modo:

ΕΡΜΟΓΕΝΗ ΧΑΙΡΕ ΕΤΗ
ΒΙΩCΑC. ΜΕ. ΚΑ
ΛΩC ΠΡΑΞΑCΜΗΔΕ
ΝΑ ΛΥΠΗCΑC ΜΗΔΕ
ΝΙ ΠΡΟΣΚΡΟΥCΑC.

Verte: *Ermogene gaude annos quae vixiſti* XLV. *bene agens. Neminem dolore adficiens. Neminem offendens.*

CAPUT XXXVII.

Minucius Felix ſaepius emendatus, aut explicitus. Ovidius vindicatus ſemel. Fallax, parcus, blandus, pro fallens, parcens. Verba dare an ſemper ſit decipere. Chriſtiani veteres Deum nunquam publice praedicabant, niſi interrogati.

Minucius Felix in elegantiſſimo libello, cui titulum fecit *Octavii*, Cap. 5. ſic vulgo legitur: *nec inmerito; cum tantum abſit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quae ſupra nos coelo ſuſpenſa ſublata ſunt, neque infra terram profunda demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut ſcrutari permiſſum, aut ſtuprare religioſum.* Vocabulum *ſtuprare*, parum non tantum caſtum, ſed & heic loci prorſus ineptum, merito diſplicuit Viris Doctis, variiſque dudum modis tentatum fuit. Mihi ſic ſedet: *aut ſcire ſit datum, aut ſcrutari permiſſum, aut ſuperare religioſum.* Ut *ſcrutari* pertineat ad infra terram profunda, *ſuperare* vero ad coeleſtia. Dicit adeo, nobis

bis religioſum, id eſt, fas non eſſe, ea quae ſupra nos coelo ſuſpenſa ſublata ſunt, cogitatione velle praecipere. Hinc paullo poſt pergit Caecilius: *ultra humilitatis noſtrae terminos evagamur, & in terram projecti coelum ipſum, & ipſa ſidera audaci cupiditate tranſſcendimus.*

Eod. Cap. 5: *ſidera licet ignis accenderit, & coelum licet ſua materia ſuſpenderit: licet terram fundaverint pondera, & mare licet influxerit liquor.* Quum praeceſſerit *fundaverint*, legerim potius, *& mare licet inſtruxerit liquor.*

Cap. 8. in fin: *& dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent. Ita illis pavorem fallax ſpes ſolatia rediviva blanditur.* Sic, quum olim aliter legerentur, ex MS verba exhibuit Rigaltius, tentata denuo Viris Eruditis Vol. 1. *Obſ. Miſc.* p. 26. 27. Equidem Rigaltii emendationem omnium veriſſimam crediderim, nec tamen ſequor in eo, quod ita Minucium explicet: *fallax ſpes blanditur Chriſtianis pavorem, & blanditur, inquit, ſolatia neſcio quae rediviva.* Quin potius conſtructio videtur inſtituenda: *ita illis ſpes fallax pavorem blanditur ſolatia rediviva*, i.e. ſpes, quae pavorem fallit, blanditur ipſis ejusmodi quae jactant ſolatia rediviva. *Spes fallax pavorem* idem eſt, quod *ſpes fallens pav.* Ut apud Ovidium *verba parca fortunae*, h. e. parcentia, verba quae fortunae alicujus parcunt, lib. 2. *Triſt.* ℣. 137. quando loquitur Poeta de Auguſti Edicto, quo relegatus declarabatur:

Quidpe relegatus, non exſul dicor in illo,
Parcaque fortunae ſunt data verba meae.

Ubi adeo nil exigit, ut cum Viro Celeberrimo reponatur,

Pars quoque fortunae ſunt tua verba meae.

In Lucani quoque lib. 9. ỷ. 590. unus Cl. Burmanni Codex praeferebat, *ſomno parciſſimus ipſe eſt.* Quod forte non ſpernendum. Dionyſ. Cato, ſeu quisquis auctor, l. 3. *Diſt.* x:

Munificus facito vivas, non parcus amicis.

Fateor, locutionem eam *verba dare* ſaepius, & plerumque etiam, fraudem indicare, ac decipere. Sed me, qui & ipſe aliquando hoc ita perpetuum eſſe opinatus fueram, meliora docuit Ovid. 1. *Art.* ỷ. 166:

—— —— —— —— Pauper amavi,
Quum dare non poſſem munera, verba dabam.

Verba dare notat carmina dare, ut in Artis ſuae & Amorum libris frequenter ait, ſe, cum facultate munerum dandorum deſtituatur, carmina amicae doni loco mittere, quibus ipſam mirum in modum condecorari gloriatur toties, conf. 1. *Amor.* x. ỷ. 59. 60. l. 2. *eleg.* 17. ỷ. 27. 3. *Art. Am.* ỷ. 533. ſeqq. Idem deinde dedici ex Val. Flacco l. 7. ỷ. 250:

Talia verba dabat, conlabſaque flebat iniquae
In Veneris Medea ſinus.

lib. 8. ỷ. 173:

—— —— famulae pariter clamore ſupremo
In vacuos dant verba Notos.

Et locis aliis. Sed haec ſufficiant. Hinc autem patet, quid habendum ſit de emendatione, quam aliquando in Ovidio tentavit Conſultiſſ. Wolbers *Dec. Obſervationum*, additis ad calcem *Collectaneorum* Cl. de Toullieu, Cap. ult. Is vero malebat,

Blandaque fortunae ſunt data verba meae.

vel,

Blandaque fortunae ſunt tua verba meae.

Senſu

Senſu, ut inquit, *plano & facili*, *non exilii*, *ſed mitia & blandientia verba relegationis Ovidii fortunae fuiſſe conceſſa; ſic Cicero*, ita pergit, *de Amicit. Cap.* 25. *dixit blandum amicum*, *id eſt*, *qui blanditur*, *quem a vero ſecernit.* Quam inportuna hic miſericordia invaſerat Docti Viri animum, quum haec ſcriberet! Nimirum, Auguſtus Ovidii fortunae, dum relegari eum jubet, fuerit blanditus. Egregia prorſus blandimenta, ſi unquam! At miſer Naſo ne caſſa nuce emeris. Et quae demum blanditiae Relegationis vocabulo inſunt? Nullae, ſi quid video. *Blandimur* ei, cui benefici ſumus, nec noxii, ſed boni magis eſſe cupimus *Parcimus* autem meritum non ulciſcendo, aut mitiori poena coercendo. Ita Auguſtus Ovidii fortunae non blanditur, at parcit, ejuſque Edictum, *quamvis inmite minaxque*,

Attamen in poenae nomine lene fuit.

Adductus etiam Ciceronis locus id tantum probat, *blandum* pro *blandiente* dici, & ſic ſane paſſim aliis *blandus ſermo*, *blanda lingua* &c. V. Doct. Arntzen. *ad Caton. Diſt.* 2. 27. Sed eodem jure an *parcus* nobis notaverit is, qui parcit, ſeu parcens, quis nunc ulterius ambigat? Conf. Erudit. Jo. Fred. Reitz. *de Ambiguis* p. 629. 630.

Aſt diverticulo fuimus fortaſſe loquaces.

Revocat nos Minucius. Cap. 12. Caecilius ad Chriſtianos: *ecce pars veſtrum & major*, *& melior*, *ut dicitis*, *algetis*, *opere*, *fame laboratis: & Deus patitur*, *diſſimulat.* Quid hic *opere laborare* ſibi velit, non capio. Putabam legi poſſe, *algetis*, *dolore*, *fame lab.* aut *onere*, *f. l.* Nec ſpernenda elegans Woweri conjectura, qui diſtinguebat, *ope*, *re*, *fame l.* Rigaltio tamen quidquam mutare diſplicet.

Mox ſub fin. fere Capitis: *proinde*, *ſi quid ſapientiae*

tiae vobis aut verecundiae eſt, deſinite coeli plagas, & mundi fata & ſecreta rimari. Quum is Minucio mos ſit quaſi perpetuus, ut ſingulis Subſtantivis ſuum conjungat Adjectivum, forte hic aliquid exciderit, & legendum, *coeli plagas, & mundi fata, & ſeculorum ſecreta rimari.* Scriptum erat, *& ſec. ſecreta.* Hinc ut error facilis, quiſque videt.

Cap. 19: *inde hominum, pecudumque genus, & quidquid aliud animalium.* τὸ *aliud* languet. malim, *& q. alitur an.*

Exeunte porro Capite ſingulare quid refert de Chriſtianis Felix noſter: *Platoni itaque in Timaeo Deus eſt ipſo ſuo nomine mundi parens, artifex animae, coeleſtium terrenorumque fabricator: quem & invenire difficile, prae nimia & incredibili poteſtate, & cum inveneris, in publicum dicere inpoſſibile praefatur. Eadem fere & iſta quae noſtra ſunt. Nam & Deum novimus, & parentem omnium dicimus; & nunquam niſi publice interrogati praedicamus.* Nihil prorſus hic expediunt Interpretes. Nam quod Rigaltius intelligit de Chriſtianis *prohibitis ab Ethnicis, eos publice audire erubeſcentibus, aut timentibus*, in eo egregie falſus fuit. Non enim agit Minucius de ſaevitia aut odio gentilium, quibus olim perſequebantur Chriſtianos. Sed de vera & conſentanea eorum doctrina cum antiquis Philoſophis, maxime Platonis, etiam in hoc, quod nunquam Deum praedicent publice, niſi interrogati. An ſuperſtitio devenerit a Judaeis? de quibus nota res, V. Vlitium *ad Gratii Cyn.* ℣. 438. At nihil tale vel Chriſtus, vel Apoſtoli. Quaerendum aliud, & ſerio. Forte autem haec capienda, non de uſurpatione Nominis Divini, ſed de praedicatione Eſſentiae Divinae, cujus Deus ſit naturae, & quo modo exſiſtat. Proxime id ad verum adcedit. Aut nihil cerno. Simile quid de doctrina Eſſaeorum Joſephus l. 2. *Belli Jud.* Cap. 8. Sect. 7. fin.

Cap.

Cap. 20: *majoribus enim noſtris tam facilis in mendaciis fides fuit, ut temere crediderint etiam alia monſtroſa mira miracula, Scyllam multiplicem, Chimaeram multiformem* &c. Quum nulla miraculorum anterior fuerit mentio, friget hic miſere τὸ *alia.* Sed & *mira* aut gloſſema eſt τȣ *monſtroſa*, aut per geminam ſequentis ſyllabae repetitionem inrepſit. Legerim ergo, *ut temere crediderint etiam talia monſtroſa miracula. Talia* ſunt, quae mox enumerat, *Scyllam multiplicem, Chimaeram multiformem, Hydram felicibus vulneribus renaſcentem* cet.

Poſt pauca: *ſimiliter, ac vero erga Deos quoque, majores noſtri inprovidi.* l. *at vero.* Paſſim haec confuſa, V. Celeb. Drakenborch *ad Sil. Ital.* l. 6. ✝. 190.

C. 23. *erubeſcet timere ſe materiem, ab artifice, ut Deum faceret, illuſam.* Forte *illiſam.* Sed parum intereſt.

CAPUT XXXVIII.

Lampridio leviſſima mutatione ſua lectio reddita. In eodem adſerta Turnebi conjectura. C & S promiſcue olim exarata.

Lampridii *in Heliogab.* Cap. 8. leguntur: *Quum conſulatum iniſſet, in populum non nummos vel argenteos vel aureos, vel bellaria, vel minuta animalia, ſed boves opimos & camelos, & aſinos, & ſervos populo diripiendos objecit, Imperatorium id eſſe dictitans.* Solus hic, uti paret, animalibus ineſt Lampridius. Fruſtra ergo in ſcenam prodeunt *ſervi*, actores plane otioſi, atque adeo non furca, aut alio ſervili ſubplicio, ſed calamo critico quantocius excipiendi. Meo utique periculo, quisquis verum amas, *ſervos* hoſce in *cervos* muta, ut nova metamorphoſi laboranti ſententiae ſuccurratur. Adjunguntur nonnunquam, maxime

maxime in ruſtica, ſervi bubus ac reliquo pecori, nec dubitavit Varro cum animantibus pariter ſervos inter *inſtrumenta vocalia* referre. Prorſus lepide. Aeque ſi in ſervili habitu omnem ſimul hominem depoſuiſſent. At ſic placuit Romanis moribus, qui & inclementius multo ſervitutem mortalitati fere conponebant, V. l. 209. *π. de Reg. Jur.* Alia vero heic loci ratio. Dictitabat Heliogabalus Miſſilia ſua Imperatoria eſſe. Quis autem viliſſimi pretii mancipia imperatoria dixerit? cervos jure; illi enim ſummo Romae pretio, quibus & triumphatum aliquando. Liberemus itaque ab hac inportuna crudelitate monſtrum equidem hominis. Sed ſi cauſſâ dubiâ pro reo pronunciandum clamet jus Civile, quid ni multo magis in re liquida? abſolvamus miſerum uno, nec minimo tamen ſcelere, quem tot & tanta urguent. Lege mecum, *ſed boves opimos & camelos, & aſinos, & cervos populo diripiendos objecit.* Veteres C & S literis utebantur ſaepius promiſcue. Sic apud Feſtum, voce *biſeta*, viſimus *ſervice*, pro *cervice.* Hinc confunduntur toties *cenſus* ac *ſenſus*, V. Burmann. *ad Grat. Cyn.* ℣. 310. & paſſim alia, conf. Doctiſſ. Trilleri *Obſerv. Crit.* lib. 3. Cap. 16. *Conſulatum iniſſet* repoſuit Turnebus, vix probante Caſaubono, qui vulgatam tuetur, *collatum miſiſſet.* Caſaubonum nuper ſecutus fuit Conſultiſſ. Weſenfeld. in eleganti Diatribe *de Sparſione Miſſilium*, p. 6. 7. Enim vero vocem *collatus* dubiae eſſe Latinitatis, nemo credo infitiabitur. Unica loca, quae ad firmandum novi vocabuli uſum proferuntur, ſunt, quantum ſcio, ex Cenſorini libello *de die natali*, & Scriptore *belli Hiſpanici.* At illi plane diverſo ſenſu adhibent, ac ſolo tantum auferendi caſu. Mittamus iſta. Quid in ſparſione Miſſilium indicaverit *collatum mittere?* deſidero locutionis auctoritatem, & ſermonis analogiam. Niſi enim haec adtendas, nihil obſtat, quomi-

minus quaevis verborum monſtra Latina civitate inlico donari queant. Nulla, fateor, apud Herodianum lib. 5. *conſulatus* mentio. Sed is de alia longe ſparſione egit, Lampridianae iſti diſſimillima. Refert ille, ut ſollemni pompa ſub Imperii principia Deum ſuum ubique circumvexerit Heliogabalus, qua etiam occaſione varia addit in vulgus ſparſiſſe. Memorat veſtes, lintea, aurea argenteaque pocula. De quibus ne hilum noſter Aelius. Herodianus praeterea vulgo objeciſſe ait beſtias omnis generis cicures, ſuibus tantum exceptis; his namque ipſe abſtinebat, Phoenicum more. Lampridius contra dumtaxat inmiſiſſe tradit camelos, aſinos, cervos, nulla minuta animalia, bellaria, aut nummos argenteos, vel aureos. Quae Imperatorio faſtigio pro ſua ſagacitate indigna cenſebat. Adjuvat Turnebum ſcripturae conpendium, quo uſi olim amanuenſes, & Codex etiam Regius, qui habet *iniſſet.* Teſtante Caſaubono.

CAPUT XXXIX.

Plura Martiani Capellae correcta loca.

Specimini, quod in emaculando Martiano Capella ſupra dedimus, addantur, ſi ita lubet, ſequentia.

Lib. 1. Pag. 5. *ipſe pedibus talaria nectit aurea, & nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denuntiata pecudum caede phyſiculatis* (Grot. *fiſſiculatis*) *extorum proſiciis* (al. *proſicis.* Quod & in duobus Codicibus haberi, ad marginem ſui exemplaris notarat Vir quidam Doctus) *viſcera loquebantur, quibusque ſortitus excedere, vel logia perſonare, ſagaci eum inveſtigatione diſquirunt.* Verba illa, *ipſe pedibus talaria nectit aurea*, deſumſit ex Virgil. 4. *Aen.* 239:

— *Et*

——-*Et primum pedibus talaria nectit*

Aurea. Pro *aut denuntiata pec. c. ph. ext. proſ. viſc. l.* legendum, *aut denudata pecudum caede fiſſiculatis extorum proſiciis viſcera loquebantur*. Quid hic *viſcera denuntiata caede* ſint, non percipio.

Ibid. *Item eum in Helicona, Delon, Lyciumque ſectantur*. l. *Lyciamque s.* ut jam viſum fuit Illuſtri Viro Nic. Heinſio, qui ad calcem libri ſui ſic emendandum monuerat. Firmat, quem tamen Heinſius non adſcripſit, Maro 4. *Aeneid.* ℣. 143:

Qualis, ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit, ac Delum maternam inviſit Apollo.

Ubi id ex Apollonio tranſſumſiſſe notant Interpretes.

Mox: *licet inde quoque ad Indici montis ſecretum, obumbratumque ſcopulum, nube perpetua poſterius migraſſe perhibebant*. l. *obumbratumque ſcopulum nube perpetua, poſt. m. perb.*

Ibid. *illic autem circumſtabat in ordinem quidquid imminet ſeculorum, fortunae urbium nationumque omnium regum ac totius populi videbantur*. Malim, *urb. regionumque omnium, regum, ac tot. p. v.* Forte & pro *regum* reponendum fuerit *rerum*. Suadent quae habet p. 7: *Hi igitur curſus diſcoloris amnes praedictas rerum nationumque fortunas immenſis primo ſinibus ambiebant*. Sed & ibi praeferam *regum nat. fort.* dixit autem *nationum fortunas*, quod hic *totius populi*. Ut ex iis adeo nihil noſtrae emendationis merito derogetur.

Pergit: *aliae transacti curſus emenſo fugientes conſiſtebant. Aliae ſub conſpectu, adveniebantque quam plures, atque ita nonnullis eminus vaneſcebat diſperata* (l. *diſparata*) *prolixitas, ut velut fumidae caligationis incredibilis haberetur aura*. Heinſius legebat, *aliae aevi tranſacti ſpatio em.* Sic verba ego formaverim:

verim: *aliae tranſacto curſus emenſo fugientes. Conſiſtebant aliae ſub conſpectu, adv. q. pl.*

Sequitur. *Inter baec mira ſpectacula fortunarumque curſus, motus nemorum ſuſurrantibus flabris, canora modulatio melico quodam crepitabat appulſu.* l. *canora modulatione mel. q. crep. appulſu.* aut, ſi malis, *applauſu.*

P. 7. *Nam alter nimia celeritate feſtinus, ac plerumque conſiſtens relabensque ferebatur.* lego, *jam alter.* de qua confuſione videndus Cl. Drakenborch. *ad Sil. Ital.* lib. 9. ỳ. 242. Porro, *ac pler. concidens rel. fer.*

P. 9.

Conſcia Parnaſo, cui fulgent ſydera coetu.

l. *cui fulgent ſydera coeli.*

P. 10.

Inſtes, nam ſolitus ciere pectus;
Et praeverſa vigil monere ſenſa.

l. *v. movere s.* In altero Viri Docti Cod. erat *perverſa.* Sed *praeverſa* melius.

P. 11. *Nam Urania ſtellantis mundi ſphaeram extimam concinit, quae acuto raptabatur ſonora tinnitu. Polymnia Saturnium circulum tenuit.* l. *m. ſph. ext. concipit.* Eruditi Viri unus Codex habebat *concinnat.* alter *concinat.* Utrumque male.

Ibid. *Fiuntque volucres, qui currum Delium ſubvebebant anbeli flammis lucis alipedes.* l. *flammantis lucis al.* p. 17. *apponit primum vertici regalis ſerti flammantem coronam.* p. 38. *quos ignitae ſubſtantiae flammantiſque ſuſpicimus.* Ut legendum monui Cap. x. harum *Obſervat.*

P. 12.

Jugalis ergo blanda nutus praeſtrue
Noſtriſque ſuada quo lubeſcat niſibus.

l. *praeſtrue, Noſtriſque ſuade quo lub. n.* vel *Noſtr. ſuadeas.* Fueritque adeo *ſuadeas* diſſyllabum. Et ita

aliquoties aliis. Sic apud Corippum emendabat Barthius lib. 21. *Adverſ.* C. 2:

Hoc mihi da de fonte bibam, tu pabula praebeas.

legitur vulgo, *tu p. praebens.* Quod & retinere nil prohibet. Nam ſenſus idem, & metrum elegantius. Pro *lubeſcat* duo praeferunt *allubeſcat.* Rectius opinor. Sed parum refert.

Sequitur continuo:

Te nunc parentem principemque maximum
Fatumque noſtrum, quippe Parcarum chorus
Humana penſat, tuque ſortem caelitum.

Heinſius *Parcarum colis.* Mallem *colus.* Sed nec forte τὸ *chorus* quiſpiam ſpreverit. Parcae, inquit Apollo ad Jovem, humana penſant negotia & moderantur, at tu ſortem Deorum. An tamen trium recte dicatur *chorus*, dubito.

Ibid.

Tene igitur illo quo benignus numine es
Depoſco coeli blanda temperatio.

l. *Te te ig. i.* ambo Docti Viri Codices *quod ben. n. es.* perperam omnino.

P. 16. *in ſecunda itidem manſitabant praeter domum Jovis quae ibi quoque ſublimis eſt, ut eſt in omnibus, Praediatus, Quirinus, Mars Laris militaris, Juno ibi quoque domicilium poſſidebat.* Forte, *Quirinus, Lar tutelaris, militaris.* Poſtea ubi dicit, *Mulciber, Lar caeleſtis nec non etiam militaris ex quarta regione venerunt*, cum Grotio legendum, *cael. nec non etiam familiaris.*

Ibid. *Diſcordiam vero ac Seditionem quis ad ſacras nuptias corrogaret, praeſertimque cum ipſae Philologiae ſemper fuerit inimicae.* l.ſ. *fuerint in.* Nec enim *ipſae* hic dativus, ἀρχαικῶς, pro *ipſi*, quod & Heinſius volebat, atque ita quoque Propertium loqui notat.

tat. Sed omnino eſt Nominativus Pluralis, (Grammaticorum vocibus in re Grammatica utor) & *ipſae* ſunt *Diſcordia* ac *Seditio*. Sic verborum nexus exigit. Qui nullus alioquin. Adjuvant duo Codices, in quibus *fuerunt ſemper* legi refert Vir D.

P. 17. *calceos autem ſmaragdineae* (duo *ſmaragdinae*) *fluctu viriditati* (Grotius *viriditatis*. Et ſic in duobus V. D. MSS.) *herboſos veſtigiis ejus Tellus annexuit. Inſidebat autem ex pavonum pennis intertextae oculataeque pallae, ex qua multicoloribus notulis variata pictura vernabat.* l. *infigebat autem & pavonum pennas int. oc. p. ex qua mult. floribus* (aut *floſculis*) *var. pict. vernabat.*

P. 19. *quamvis foecunda circumfuſaque partubus, tamen floridam diſcoloramque veſtem berbida palla contexuerat. In qua totus gemmarum metallorumque cenſus, atque omnium proventus frugeſque ſationum larga admodum ubertate ferebant.* l. *veſtem berbida palla contexerat.* Tum deinde, *l. adm. ubert. ferebat.* vel, quod in duobus haberi notat Vir D. *ferebantur.*

Ibid. *Et roſulenti ſplendoris gratia totam aulae ipſius curiam obſtupefactis caeteris ornatibus illuminavit.* Forte, *obſcurefactis c. orn.*

P. 20. *corpus autem ejus flammeum totum, pennata veſtigia, pallium coccineum, ſed auro plurimo rutilatum.* An? *corpus a. e. fl. totum, pallium coccineum, ſed per rata* (aut *ſtata*) *veſtigia auro pl. rut.*

Lib. 2. Pag. 28. *itaque veſtem peplumque lactis inſtar fulgidum dedit.* l. *lactis inſtar albidum.* p. 36. *perlucida inanitate albidoque bumore.* Et ſaepius.

P. 44.

Da pater aethereos mentis conſcendere coetus,
Aſtrigerumque ſacro ſub nomine noſcere coelum.

f. *ſacro ſub numine n. c.*

Ibid. *ex quo circulo viſus Pyriphlegeton amnis ad infra demeare.* l. *ad infera.* aut *inferna.*

Lib. 3. p. 53. *Nam A primum utrinque ſibi aſſociat V & I literas. Nam &* aurum *dicimus &* Varus *&* Janus *&* Ajax. *Ex uno autem latere ſuſcipit E, ut* Aeneas. *Ex neutro vero* O. *finit foeminina nomina.* cet. Haud dubie corrupta lectio, & deſideratur aliquid. tentabam, *Ex altero vero* O, *ut* Aonius. *finit f. n.*

Ibid. *I vero litera cunctis utrinque vocalibus ſociatur. Nam A complectitur, cum dicimus* Janua *&* Ajax. *E autem ut* teneat, *docuerunt exempla ſuperius demonſtrata.* Sic excuditur vulgo, quaſi *teneat* hic exempli loco vocabulum adduceretur. Quare & in aliis legitur *taeniae.* At hoc dicit, literae *I* ut *E* jungatur exempla ſuperius adlata ſatis indicaſſe. Paullo ante, *E Graecum eſt, ut* ab hoc hoſte. *Cum producitur,* ητα *eſt, ut* ab hac die. *Ac maxime cum accentum tenet.*

P. 58. *K faucibus palatoque formatur. L lingua palatoque dulceſcit.* l. *L lingua pal. ſuccreſcit.*

Ib. *R ſpiritum lingua criſpante corraditur.* l. *R ſpiritu lingua cr. corr.* aut, *ſpiritu in lingua cr.*

P. 59.

Nunc jam compactis curſanda eſt ſyllaba formis.

l. *verſanda eſt.* vel *ſignanda.*

P. 61. *Haec a ſuperioribus quae ſunt alia, ut* Catullus, Salluſtius, *hoc differunt, quod illa conſonantes diſcretas habent.* Legerim, *Haec a ſuperioribus, quae ſunt allata, hoc differunt.* Id certe magis placet, quam violentum prorſus Maximi Hugonis Grotii remedium, qui, pluribus expulſis, ita emendabat, *Haec a ſuperioribus ſunt alia quod illae conſonantes,* cet.

P. 62. *Ideoque factum eſt, ut media haec nomina,* tenebras *&* latebras, *acuto accentu primam ſyllabam* (duo Codd *prima ſyllaba.* Quod perinde) *proferrent: at* maniplos *&* feneſtras *penultima ſyllaba acuta diceretur:*

ceretur: quod quidam illud genus ſyllabae omnino breve putaverunt, quia non terminantur conſonante. Quidam quia licet non terminaretur conſonante, proxima ſyllaba inciperet a duabus conſonantibus: & quod natura literarum L & R quod mollis eſt, nunc longam nunc brevem ſyllabam efficeret. l. *quidam mediam, quia lic. n. t.* de re ipſa V. Juſti Zinzerlingii Diſſertationem, additam *Promulſidi* ejus *Criticae*.

Lib. v. Pag. 137. *Haec etiam Senatum, roſtra, judicio domuiſſe in gente Romulea.* l. *roſtra, judicia.*

P. 138. *Ita praeclues linguae excellentia floruerant, ut poſt curiarum facta immeritasque mortes, virtute aſtra conſcenderent, immortalitate gloriae ſecula ſuperarent.* l. *ut poſt duriora fata, immeritasque mortes.* At, ne haec in nimium excreſcant, deſinendum eſt. Plurima ſane in Auctore, ſi quisquam veterum, peſſime habito, & hodiedum etiam depravatiſſimo, ad manus erant, quae huc adferre in proclivi foret. Sed nunc differo. Nam & iis aliquid dandum, qui hanc operam Criticam, ut frivolam plane ac futilem, non ſine Catoniano ſupercilio, deſpicere ſolent, & ejusmodi otii, minus recte collocati, vix rationem reddi poſſe exiſtimant.

Talia nunc hominum producit corpora tellus!

Olim aliter. Quum alia tempora. Alii mores. At quid hic tam gravis oratio, & inportunae forte Critices vindiciae? nihil. Fateor. Sed homo ſum. Et juvenis. Noſtis fervorem aetatis meae. Si ita videatur, prorſus indictum eſto.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Abigei. 42.
Ablativus in *a* contra naturam ſuam corripitur. 5. 6.
Ac & *at* paſſim conmutata. 141.
Acies fori, *tribunalium.* 128.
Ad pro at. *adque* pro atque. 35.
Adſequi paſſive. 124.
Aegyptii a peregrinorum conſortio ac moribus alieni. 56. 61.
—— — in Hiſtoriis ſuis calumniabantur Judaeos. 56.
Aegyptiis multi auctores communiter tribuunt, quod alii ſolis eorum Sacerdotibus. 62. 63.
Agnus. 86.
Alius & *alter* in ſecunda ſententiae parte omittuntur. 125.
Alter pro uterque. 125.
Aſini a Judaeis culti fabella confiſta ab Aegyptiis. 56. 57.
Aſtrologi & Mathematici a variis ſcriptoribus exploſi. 44. 45.
—— — ſacrae olim communionis exſortes. 45.
ΟΥΔΕΙϹ ΑΘΑΝΑΤΟϹ, formula ſepulcralis. 135.
Atque. 80.
Auctor, qui praemonet futura. 117. 118.
Aut & *haut* Veteribus ſcripta promiſcue. 4. 129.
Auxit & *hauſit* conmixta. 9. Adi Cl. Drakenborch. *Ad Sil. Ital.* l. 9. ✝. 230.

B & *V* literae antiquitus confuſae. 48. 49.
Blandus, pro blandiens. 139.

C

C & S promiſcue exarata. 142.
Caepionum & *Scipionum* permutata nomina. 132.
Carmina, ſententiae Philoſophorum. 68.
Carminibus res Divinae antiquitus traditae. 68.
Catonis quae feruntur Diſticha non ſapiunt Chriſtianum ſcriptorem. 110. 111.
——— non videntur omnia ejusdem auctoris. 113.
Chriſto a gentilibus illuſtres Viri obpoſiti aut praelati. 70. 71.
Chriſtiani ubi de Divinis Perſonis loquuntur non ſemper trium meminerunt. 22.
——— Deum non praedicabant, niſi interrogati. 140.
Circumciſionis Aegyptiae origo. 7. 55. 63.
——— ——— non ab Iſraelitarum ſervitute derivanda. 56.
——— ——— an a tempore Salomonis. 57. 58. 59.
——— ——— an omnium promiſcue Aegyptiorum communis. a p. 59. ad 63.
Collatus. 142.
Commentare. 8.
Confieri. 45.
Confingere. 45.
Convicium, concentus quilibet. 27.
Criſis violentior damnata. 93.
Cruenta rhythmica quae. 82.
Cucuma. 34.
Cuſtos, pro cuſtodia. 26.
Cyriacete. 134.

D & T promiſcui apud Antiquos uſus. 35.
De abundat. 49. 50.
Deus, pro fortuna. 111.
Digerere. 116.

Dignitas. 79.
Divina olim perplexe admodum rudi vulgo tradita. 68. 69.
Durateus equus. 82.

E*nim* poſt ſecundam & tertiam vocem. 39.
Epictetus non fuit Chriſtianus. 71.
—— - - an jusjurandum probaverit. 72.
Eſſaei mere erant Pythagorei. 67.
—— a jurando alieni. 73.
Et ſaepe adhaeſit verbo praecedenti, ac ſenſum pervertit. 96.
Et nunc. 88.
Externus gentium. &c. 45.

Faces in funeribus & ſacris Chriſtianorum. 19.
Fallax, pro fallens. 137.
Fatum & *factum* permutata. 126.
Fera, bellua marina. 16.
Forculus. aut *Foriculus.* 80.
Formam venalem obferre. 126. 127.
Furere & *ruere* confuſa. 128.

Galli Cybeles Sacerdotes inpuris flagitiis infames. 5.
Generum mutatio. 38.
Graecis Vocabulis utuntur aliquamdo Latini, expreſſis tamen ſuis literis. 82.

Hiatus in verſu. 10. 77.
Homo vivus colebatur Aegyptiis pro Deo. 8.

Janus in precibus Jovi praepoſitus. 3. 4.
Jam. 78.
Jam & *nam* conmixta. 145.

Id

Id eſt mutatum in *et*. 85.
Ignis in Hiſtoria Creationis apud Moyſem nulla mentio. 9.
—— a pluribus Elementorum numero exemtus. 9.
In, pro intra. 42.
In filia adulterum deprehendere. 40.
In poteſtatem habere. &c. 40.
In ſalute ſumtus facere. cet. 37.
Induere. 66.
Innoxia. 39.
Judaei qua de cauſſa proni adeo in Idololatriam. 64. 65.
—— jurisjurandi religione celebrati. 73.
Jurare Phrygibus inſolitum. 72.

Lacunas conjectura ſubplere velle incertum plane & arbitrarium. 12. 102. 103.
Latbri famulus. 87.
Latro. 87.
Legitimum obpoſitum *extraordinario.* 122.
Legum & *rerum* confuſa. 120. 121.
Liber, qui pravis animi adfectibus inperat. 66.
Librariorum fraudes in pervertendis auctorum verbis. 112.
Ligorii mala fides. 130. 132.
Limen & *lumen* conmutata. 27.
Lucani bella Punica unde hauſerit auctor Praefationis in librum ſecundum Diſtichorum Catonis. 94.
Lumen, de colore purpureo. 23.

M*agis* omiſſum ante *quam.* 122.
Manichaei. 45. 50.
—— —— probabant inceſtum. 50.
Manumiſſus Jure Civili novus homo. 65.
Mathematici & Aſtrologi a pluribus notati. 44. 45.
—— —— ab Eccleſiae communione per Canones ſe-

ſejuncti. 45. conf. Jo. Saresber. *Policrat.* l. 1. C. 9.
Maximus, Roman. Principum titulus. 46.
Mereri. 75.
Metus & *motus* permixta. 109.
Modorum variatio obvia. 36.
Monopolis urbs quando condita. 130. 131.
Mundi Dominus, Imperator Romanus. 30.
Municipiorum jura obliterata. 105.

N*e*, pro nequidem. 52.
Nepos, ſororis nepos. 107. 108.
—— - ſororis aut fratris filius. 108.
Nepos ex fratre. 108.
Nepos filius. 108.
Nobiliſſimus, Auguſtorum titulus. 46.
Non in alterutro ſententiae membro neglectum. 123.
Novus homo ex Jure Civili habebatur manumiſſus. 65.
—— —— apud Judaeos Proſelytus, 66. 67.

O*rbis* adjungi ſolet Urbibus Regiis Romae aut Conſtantinopoli. 17.
Oracula cur verſibus olim reddita. 67. 68.
—— -- non inmediate arceſſenda a Diabolo. 69.
Oraculorum perplexa enunciatio an ab inpoſtura primitus deducenda. 68. 69.
Oraculorum exitus. 70.
Oſiris cum Horo confuſus. 77.

P*arcus*, pro parcens, 137. 138.
Parthicae pelles. 23.
Parvus cibus. 27.
Per ſe, ſua ſponte. 15.
Peregrini, qui in Municipiis & Coloniis habitabant. 104.
Perſarum infames leges. 49.

Phal-

Phallophoria. 6. 7.
Phryges non jurabant. 73.
Poetae unde dicti. 68.
Poetices laus. 68.
Portumnus. 80. Feſtus in *claudere.*
Prophetae, qui ſacris praeerant. 69.
Proſelyti Judaeorum credebantur omnino novi homines. 66, 67.
Pythagorae Myſteriis initiati pro regeneratis habebantur. 67.

Q*uiritium jus* quid fuerit, & quae ejus a Jure Civitatis differentia. 104. ſeqq.
Populus Romanus Quirites. 106.

R*atilatio.* 91.
Relativum ſequens format antecedentis Subſtantivi caſum. 47. 48. 77.
Remittere, pro permittere. 41.
Romani gloriabantur de legum ſuarum manſuetudine. 51.

Sacerdotes olim de vitae neceſſariis vulgus inſtruebant. 69.
Saevus & *ſcaevus.* 49.
Sancire, conſecrare. 24.
Satis cum Superlativo. 51.
Scriptores ſimilis argumenti uno volumine conjungebantur. 113. 114.
Ex ſcriptura continuata in vetuſtis lapidibus errores orti. 134. 135. V. Reines. *Comm. ad Inſcr.* p. 37.
Serapidis a Typhone interemti ac diſcerpti exitium in Sacris ſuis repraeſentabant Aegyptii. 6.
Ad Serapidem unum retulere nonnulli omnes apud Aegyptios diverſorum animalium formas, & varia Deorum nomina. 7. 8. quae Macrobius non niſi

niſi Solem deſignaſſe exiſtimat lib. 1. *Saturn.* C. 21.
Servus, qui inmundis voluptatibus & vitiis deditus. 66.
Si omiſſum. 44.
Sidera an ſimpliciter dicantur, pro *ſole.* 101.
Spectare, pro exſpectare. 91.
Stringere gladium. 34.
Suadeas in verſus caeſura diſſyllabum. 145.

T*amen* redundat. 52. 110.
Tectum et *textum* permutantur. 26. V. Drakenb. *ad Sil.* l. 14. ℣. 309.
Temporum variatio. 36.
Tentus. 78.
Textum. 26. aliis etiam *textus*, Reuſch. *ad Juvenc.* l. 1. ℣. 156.
Tribuni plebis. 84. 85.

V*ates*, qui ſacris praeerant. 69.
ὕβρεις. 39.
Verba dare, non ſemper notat fallere. 138.
In Verſu hiatus. 10. 77.
Victus, convictus. 99.
Ungues ferrei, ſubplicii genus. 126.
Voces quae geminandae erant, ſemel poſitae. 35.

A U-

AUCTORES,

Qui emendantur, aut illuſtrantur.

Aldhelmus. 49.
Alexander Aphrodiſaeus. 125.
Antonii Carmen adverſus gentes. a p. 1. ad 10.
Arrianus. 72.
Aſconius Pedianus. 85.

Capitolinus. 96. 99.
Catonis Diſticha. a p. 110. ad 114.
Cicero. 84.
Codex Juſtiniani. 27. 49. 124. 126. 127.
Collatio Legum Moſaicarum & Romanarum. a p. 33. ad 52.
Corippus. a p. 11. ad 32. 146.
Curtius. 15. 100.
Cyprianus. 99. 125.

Eumenius. 128. 129.
Euſebius. 50.
Eutropius. 107. ad 110.

Feſtus. 85. 86.

Gellius. 96.
Guntherus. 17.

Herodianus. 143.
Herodotus. 61. 62.
Horatius. 108.

Jam-

Jamblichus. 71.
Inſcriptiones apud Gudium. 130. 131. 132.
—— —— apud Boldettum. 133. ſeqq.
—— —— apud Muratorium. 134. 135.
Inſtitutiones Juris Civilis. 119. 120.
Joſuae liber. 61.
Juſtinus. 96. 97. 107. 108.
Juvencus. 118.

Lactantius. 73. 74.
Lampridius. 115. 116. 141. 142.
Lucanus. 16. 106. 128.

Marci Euangelium. 71.
Martianus Capella. a p. 78. ad 83. a p. 143. ad 149.
Minucius Felix. 19. 20. 136. 137. 139. 140. 141.
Moyſis liber Geneſis. 58.

Nepos. 79.

Obſequens. 89. 90.
Ovidius. 76. 118. 137. 138.

Pandectae. 23. 34. 41. 44. 85. 95. 120. ad 126.
Paulinus Nolanus. 4. 74. ad 78.
Paulus Apoſtolus. 65.
Philo Judaeus. 59.
Plinius alter. 90. 91.
Plutarchus. 62. 63.
Pomponius Ictus. 85.
Porphyrius. 92. 93.

Regino Prumienſis. 97.
Rutilius. 18.

Sedulius. 117.
Silius Italicus. 87. 88.
Spartianus. 97. 98.
Strabo. 64.
Sulpiciae Satyra. 96.
Symmachus. 126.

Tacitus. 132.
Theophili Paraphraſis Inſtitutionum. 101.

Valerius Flaccus. 114. 115. 121.
Virgilius. 124. 127.
Ulpianus Ictus. 95.

ER-

E R R A T A.

Pag. 4.	vers. 21.	*vs.* 15.	lege *vs.* 33.
18.	5.	*hinc eſt quod.*	dele *quod.*
29.	30.	*ſocuribus*	lege *ſecuribus:*
47.	33.	*tuae*	lege *tua.*
61.	19.	*Marhami.*	lege *Marsham.*
62.	26.	τῶν	lege των.
63.	2.	*ſccus*	lege *ſecus.*
76.	9.	*praelo*	lege *prelo.*
87.	25.	*Cl. Heſſel.*	lege *Hier. Columna.*
90.	14.	*produnt*	lege *prodeunt.*
108.	5.	*ſacietate*	lege *ſocietate,*
126.	4.	*ſi cui*	dele *cui.*
138.	19.	*dedici*	lege *didici.*
142.	1.	*ruſtica*	lege *re ruſtica:*

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

E R R A T A.

Pag. 4.	vers. 21.	*vs.* 15.	lege	*vs.* 33.
18.	5.	*hinc eſt quod.*	dele	*quod.*
29.	30.	*ſocuribus*	lege	*ſecuribus.*
47.	33.	*tuaè*	lege	*tua.*
61.	19.	*Marham.*	lege	*Marsham.*
62.	26.	τῶν	lege	των.
63.	2.	*ſccus*	lege	*ſecus.*
76.	9.	*praelo*	lege	*prelo.*
87.	25.	*Cl. Heſſel.*	lege	*Hier´. Columna.*
90.	14.	*produnt*	lege	*prodeunt.*
108.	5.	*ſacietate*	lege	*ſocietate.*
126.	4.	*ſi cui*	dele	*cui.*
138.	19.	*dedici*	lege	*didici.*
142.	1.	*ruſtica*	lege	*re ruſtica.*

Bayerische
Staatsbibliothek
München